Digitized by Google







Digitized by Google

Digitized by Google

CORIOLANIDOS

LIBRI XII.


EPOS

GREGORII JANNUCCELLI SUBLAQUEENSIS

PRAEFECTI BIBLIOTHECAE PIANAE

IN PATRIO SEMINARIO









ROMAE

EXCUDEBANT FRATRES CONTEDINI

MDCCCLII.

Digitized by Google


Auctor omnia sibi reservat literarii dominii jura a Summis Pontificibus, et a reliquis Principibus et Magistratibus concessa, qui hac de re foedus inierunt.

Digitized by Google

OPERIS RATIO

Cum sese animo repraesentat iracundiae illius imago, qua Roma pene corruit armis C. Marcii Coriolani, solet mens multorum tetra civilis belli cogitatione obnubilata nullum in eo detegere splendorem virtutis, imo potius omnem illam historiam scatentem criminibus judicare. Hinc aliqui etiam ex illorum ordine, qui caeteris doctrina praefulgent, factum illud exhorrent, et poemate prorsus indignum rejiciunt; eam etenim esse praedicant illius naturam et indolem, ut animos hominum potius ad nefarias actiones quam ad virtutes inflammet; quamobrem arbitrantur illud respondere non posse altissimo fini poeseos, quae est eximia omnis politicae et civilis disciplinae pars, et sibi proponit civium felicitatem per jucundam morum institutionem. Absit ut ego minimi scriptor pretii clarissimorum virorum sententiam contemnendam putem, imo eorum auctoritatem plurimum valere debere confiteor; attamen omissis auctoritatibus ipsa re et ratione exquirere possumus veritatem. Ego equidem arbitror non jam ex candoris inopia neque e vitio ingenii illorum opinionem ortam esse; verum quod omnis civilis belli facies vix sese offert, odium et abominationem excitat in animo, illumque perturbat et removet ab investigatione veritatis; tum etiam quod gravissimis illi viri occupationibus distenti satis otii non habuerint, ut ad plenam accuratamque factorum considerationem animum intenderent. Jam vero ut ordine res procedat, primum Coriolani facinus breviter intimeque undique inspicientes, nullo, ni fallor, negotio dignoscemus, an illud suppeditet satis aptam poemati materiam; deinde expen-





demus, an aliquid veri insit in virorum illorum objectis, quorum reveremur sapientiam, sed non censemus opinionem anteponendam esse veritati; denique diligenter investigabimus, an hoc, quodcumque demum sit, poema illos errores contineat, quos nonnulli in eo reprehendendos arbitrantur.

1. Sed antequam initium disserendi faciam, a benignis lectoribus efflagito, si quam opinionem jam suis mentibus comprehenderint, quoties eam ratio convellet, quoties veritas extorquebit, ne repugnent, eamque animis suis aut libentibus aut aequis remittant. Jam vero confugiamus statim velut in portum ad artis poeticae principia, et ad ea revocemus actionem illius imperatoris, qui quamvis multorum populorum victor, patriae tamen injuriis concessit; breviter videamus, an praecipuae poematis dotes huic facto conveniant. Primum per se patet illud unitatem habere tantopere necessariam, ut vehementioribus motibus exagitentur auditorum animi, et numquam langueat vis attentionis. Deinde illustre est tam ratione personarum, quam ratione sui; agitur enim inter volscos romanosque duces et senatum de libertate aut de servitute populi romani principis, ita ut omnium animos, sed praesertim nobilitatis ad praeclara facta possit impellere, et ad ea quasi viam sternere. Praeterea multorum spatio saeculorum remotum, et inter vetustatis nebulas translucens praebet ansam plura fingendi verisimilia, quae majorem excitent in animis delectationem; magnam demum habet utilitatem, cum omnes admoneat populos et magistratus, non esse injuria lacessendos egregios duces inclytosque viros, et damna etiam gravissima et contumelias esse denique oblivioni dandas. Hic mihi videre videor ingeniosos lectores silentium imperare; jam enim cernunt hoc facinus habere praecipua poematis ornamenta, et aptissimum esse ad epicum carmen condendum. Sed

perscrutemur studiosius, quaenam sit Epopaejae natura et indoles, ut veritas clarius elucescat.

2. Celebratissima parisiensis Encyclopedia sub vocabulo Epopaejae tradit, eam nihil aliud esse nisi Tragoediam, cujus actio in mente poetae evolvitur; hinc Aristotelis docet poetica, unum idemque fundamentum subesse Dramati et Epopaejae, et hanc a Tragoedia non differre quoad naturam, sed tantum ob majorem poematis explicationem diversamque carminum formam. At ira et pietas Coriolani optimae Tragoediae suppeditavit argumentum tum clarissimis vatibus anglis Shakespeario et Thompsonio, tum etiam La Harpe, Goujonio, Chapotonio, Segurio aliisque eximiis Galliae poetis (*Biograph. Univers. Vocab. Chapotonius*), tum demum Zanottio et aliis praeclaris Italiae vatibus; praeteream vero, hujusmodi historiam a famigerato Poussinio aliisque optimae notae pictoribus ad vivum espressam esse coloribus, et immortalitati consecratam, ita ut in ea ornanda poesis et pictura contendere visae fuerint. Eritne igitur aliquis justus rerum aestimator, qui doceat, Coriolani historiam, moventis arma in Urbem eique tandem ignoscentis, epico tractatam carmine nitescere non posse ac proinde relinquendam?

3. Quod si quis incerto adhuc fluctuat animo, supracitatum illud opus parisiense rursum consulat, et optimas poeticae institutiones. Nullam sane humanam actionem, quae proxima poeseos materies est, ab epico carmine excludi docemur; hinc laudata tradit Encyclopedia, et res ipsae per se loquuntur, ex itinere, ex consilio, ex affectu, e bello civili, ex irruptione in aliquod regnum pulchra orta esse poemata, licet singula haec valde inter se differant. Jam vero si quaelibet ex his rebus aptissima est poemati condendo, quo magis historia Coriolani, in qua una simul continentur consilium extenuandi romanam potentiam, vehemens ira,

vehementior pietas, iter exercitus volsci, pugnae cum Romae sociis, irruptio intra fines romanae reipublicae?

4. Neque leve nobis argumentum suppeditat caesarianum illud bellum, quod quamquam multa civium caede et sanguine foedum sit, plura tamen offert exempla magnanimitatis, fortitudinis, vigilantiae, et prudentiae; hinc illud Epopaeja dignum celebratur a praeclaro viro Blairio (Lect. tom. 3. l. 7.), a Marmontelio, ab Encyclopediae scriptoribus et ab aliis bene multis. Quo potiori ergo jure epicum promeretur carmen C. Marcius, qui non jam patriam in servitutem redegit uti Dictator, sed postquam Urbem terrore sui gladii corripuit, oblitus injuriarum ei donavit iterum libertatem. Neque aliquis objiciat, Caesarem fuisse maximum ductorem; Marcius enim summus quoque aetatis suae exstitit imperator, de quo testantur annales, si romanae praefuisset aciei, ipsum plures gentes subjecturum fuisse, quam caeteri duces ipso antiquiores superare potuerant; sic tradit universalis historia ab anglorum Scriptorum Societate elucubrata.

5. Coronidis loco referre juvat omnium aetatum consensum, qui Achillis iram et pietatem in Patroclum judicavit praeclarum esse divinae Iliadis fundamentum; non tantum igitur artis poeticae ignarus, sed plane fatuus et amens esset quicumque temere jactitaret ab Epopaejae finibus ejiciendum esse Coriolani facinus. Praesertim cum levis omnino causa, rapta scilicet captiva puella furorem graeci ducis accendat; gravissima exilii perpetui injuria suscitet iram romani; suis ille in puppibus cum Myrmidonibus absconditus cessat ab omni praeclaro facinore; hic vero semper adest lectorum oculis, et magnanimitatem, fortitudinem, vigilantiam assidue exercet; ferrum ille tandem distringit non amore suorum, non refraenatione vindictae, imo acerrimo vindictae deside-

Digitized by Google

rio, ut necem ulciscatur sodalis; hic ponit arma omnemque iram eximia erga suos cives patriamque pietate inflammatus. Neque vero omni crimine solvit Pelidem, quod gladium graeco sanguine non polluerit; foedus enim graecis cum principibus contra Teucros ipse inierat; viderat suum brachium et suorum agmen Myrmidonum esse totius exercitus clypeum et salutem; atqui dum salus suorum in discrimen veniret, ille graecas acies orbavit suo robore, et indecoras fudit preces divae parenti, ut Jovem adiret, ac incitaret in Achaeos (Iliad. L. 1.); dumque hi non procul ab eo ruebant in praelia, stans ille in puppi, cytharamque pulsans et canens caedi suorum insultabat. Achilles igitur non suis ipse armis confodit, sed a se remoto omni labore et periculo suos Graecos tradidit armis Teucrorum mactandos, et inter hujusmodi caedes gaudio exultavit, quo nihil atrocius non dicam referri, sed ne excogitari quidem potest (Iliad. L. 9.). Tota praeterea Iliadis fabula continet vehementes populorum tam graecorum quam phrygum iracundias, seditiones, fraudes, libidines, uno verbo scelera; hoc equidem de illa tradit vir acerrimus in judicando Horatius Lib. 1. Epist. 2. Ad Lollium:

Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Graecia Barbariae lento collisa duello,
Stultorum regum et populorum continet aestus.
Antenor censet belli praecidere causam,
Quid Paris? Ut salvus regnet vivatqne beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat et inter Atriden,
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi;
Seditione, dolis, scelere, atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur et extra.

Hi tamen animorum aestus, haec flagitia epico quidem tractanda carmine Horatii ipsius et omnium judicio censentur; quo magis facta in hoc poemate descripta, quae sunt plerumque aut Coriolani praeclara facinora, aut ducum volscorum et romanorum? Cum igitur Achillis iracundia omnium consensu sit felix argumentum, quo prima pulcherrima Epopaeja condita est, cum teterrimum bellum civile Caesaris a laudatissimis artis magistris judicetur epico canendum carmine; cum nullum humanum facinus forte et ingens a finibus poematis sit rejiciendum; cum docente Philosopho Epopaeja sit vera omnino Tragoedia, multaque illustria dramata ex hac historia Coriolani prodierint in lucem; cum denique hoc romani imperatoris factum unitate, splendore, vetustate, utilitate praecipuis poematis dotibus ornatum refulgeat; reperietur aliquis qui contendat hoc argumentum per se obscurum et poemate indignum esse relinquendum? Atque is ita contendens poteritne unquam in animum cordatorum virorum inducere se ingenio et doctrina praeditum esse, et ex intimo animi sensu, nulloque praejudicio irretitum res denegare extra dubitationis aleam positas? Arbitrarer sane tempus incassum terere, et lectorum ingeniis diffidere viderer, si in re tam perspicua immorarer diutius, et non converterem potius attentionem ad illa objecta, quae mihi secundo loco proposueram enodanda.

6. Haec duplicis sunt generis; aliqua argumentum poematis in genere, alia vero hoc ipsum singillatim poema respiciunt; de utroque genere breviter. Et primum in illa romani ducis actione nihil magnanimitatis, nihilque virtutis admirandae quidam inesse putant, quod si procul a vero non esset, jure merito inferrent, illam ad Epopaejae dignitatem assurgere non posse. At sedulo adnotandum, eam actionem duas habere partes, romanam potentiam in discrimen adducendi, tum demum

ignoscendi patriae ; utrumque autem eximium esse ac singulare ipsa edocet ratio. Nam per se sane admirabile est ac singulare, unum eumdemque ducem valde elevare fortunam gloriamque praeclari populi, eamque suo arbitrio deprimere ac ferme delere ; hoc equidem facinus magnam requirit virtutem et mirificum usum in re militari et apud milites auctoritatem ; hujusmodi vir praeditus esse debet animo constanti et recto, qui aerumnarum pondere non frangatur, imo magis magisque assurgat ; hinc omnibus admirationi est illa Napoleonis actio, qui regno pulsus adversaque fortuna dejectus in Ilvam, incredibili fortitudine ad Galliarum imperium remeavit. Ultro tamen ingenueque fatemur in illa magnanimitate et virtute desiderium vindictae immisceri. At observandum diligenter in primis, illum ducem nusquam non magnanimum apparuisse, et virtute praeditum, sin minus sapientum, certe vulgi judicio, a quo non abhorrent poetae, fuisse ; testatur historia Coriolani apud Plutarchum = Ingens erat ejus per totam Italiam nomen, atque immensa laus virtutis, quae unius migratione corporis rerum conversionem tam novam effecisset. = Deinde tradunt artis poeticae institutiones, et in primis laudatum parisiense Lexicon, argumenta poematis aut esse exemplum virtutis jugiter constantis, qualis ostenditur Ulysses in Odyssea, aut virtutis, quae quandoque deficit, ut apparet Achilles in Iliade ; at hujusmodi virtutis et infirmitatis immixtio non jam sua dignitate suoque splendore despoliat poema, imo potius illud reddit humanis moribus et naturae magis consonum, magisque alliciens ad attentionem et imitationem, cum quisque censeat se facilius imitari posse heroem qui tamen aliquam patiatur humanam infirmitatem, quam virum undique perfectum qui supra conditionem hominum longe assurgat ; hinc Lib. 21. 22. et tota ferme Iliade Achilles describitur, qua-

Digitized by Google

lis ab Horatio depingitur in Arte poetica „ Honoratum si forte reponis Achillem-Impiger, iracundus, inexorabilis, acer-Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis „. At quam diligenter in hoc toto poemate cautum est, ut Marcius culpam seditionis repararet multarum virtutum exercitio, hoc cuique legenti patet, et mirifice consonat cum ejus historia; ille enim ex Dionysio L. 8. Antiquitatum rom. §. 60. = „ omnes aetatis suae homines virtute bellica superavit, maxime temperantia et justitia praefulgens „ et inter praeclaros viros antiquitatis a gravissimo illo philosopho et historico Plutarcho meruit adnumerari, qui ejusdem etiam politicas commendat virtutes, innocentiam, temperantiam, consilium, eloquentiam, fidem, humanitatem. Tullius vero eum cum Themistocle confert pluribus in locis; et primum Lib. De claris Oratorib. N. 10. = Nam bellum Volscorum illud gravissimum, cui Coriolanus exul interfuit, eodem fere tempore, quo Persarum bellum fuit, similisque fortuna clarorum virorum =. Et Lib. de Amicitia N. 42. = Quis clarior in Graecia Themistocle? Quis potentior? Qui cum imperator bello persico servitute Graeciam liberasset, propterque invidiam in exilium missus esset, ingratae patriae injuriam non tulit, quam ferre debuit. Fecit idem, quod viginti annis ante apud nos fecerat Coriolanus =. Multum igitur magnanimitatis et virtutis inest in adducenda in discrimen romana republica Volscorum armis, quae multoties victa a Romanis fuerant, et illa singularis virtus circumdata iracundiae nube longe pulchrior et optabilior refulget, uti fuscam super arcam niveus magis emicat color. Non minus autem, imo multo magis Coriolani magnanimitas et virtus eminet in parcendo; cuique enim patet eam animo vim subesse debere, quae rebelles affectus, et seipsum vincat; haec est gloria quam cum militibus non dividit imperator, Tullius ait pro Marcello, unde virum

hujusmodi simillimum Deo judicat. Quod si res aequa lance perpendantur, a Coriolani virtute gloria Themistoclis superata deprehendetur; ex commemorato enim Ciceronis testimonio Coriolanus viginti annis ante graecum ducem, primus scilicet „ ingratae patriae injuriam non tulit quam ferre debuit. „ Non igitur alterius impulsus exemplo, non similis laudis desiderio illectus, sed patria tantum caritate inflammatus Romae pepercit. Quis ergo non fateatur Coriolani facinus, sive spectetur in infirmanda Romae virtute, sive in ignoscendo patriae, singulari magnanimitate et vi mentis refulgere, ac proinde illud habere granditatem, dignitatem, et splendorem, ut epico tractari carmine laudabiliter possit?

7. Sed aggeret fortasse quispiam, injustam omnino fuisse iracundiam Coriolani, illumque jure exilio damnatum fuisse; superbus enim patritius senatui consulebat, carius vendendum esse frumentum populo, ut famis tormento coactus ejuraret ille magistratum tribunatus a patribus extortum, et jura sua ordini redderet senatorio. At hoc alterum, ut primum illud, non difficili negotio evincitur alienum esse a veritate. Nemini enim obscurum esse arbitror, togatos patres in senatu, ut omnes regnorum proceres in publicis consiliis, plena dicendae sententiae libertate fuisse donatos. Si igitur Coriolanus consuluit juxta Plutarchum „ ut extorquerent plebi tribunatum, qui consulatus erat eversio, et divisio civitatis „ nullum plane jus violavit, ac nulla poena subjici poterat. Deinde juxta laudatum historicum et Dionys. Halic. l. 7. c. 25. juniores patres et locupletes pene omnes in C. Marcii sententiam abierunt; quidam tantum ex majoribus natu id improbabant. Aut igitur plerique rei ex patribus, aut nemo in judicium vocandus et puniendus erat; atqui nemo praeter Marcium vocatus et poena multatus fuit; dubitabit ergo

aliquis illum ob invidiam et odium fuisse damnatum? Denique liquet ex Plutarcho, damnationis causam fuisse triticum praedamque in agro volsco collectam et a Marcio militibus distributam; vehementer igitur hallucinantur ii qui contendunt illum ejectum fuisse, quod immite contra populum consilium dabat. Sed attente perpendendum est, hoc ipsum, quod Marcio objiciebatur ut flagitium, fuisse fictum crimen et velamen veteris odii. Irruebant enim frequenter in agrum romanum Volsci; Respublica et socii grave patiebantur detrimentum et dedecus; maxima plebis pars vetusta contra senatum simultate renuebat arma sumere et repellere a finibus hostes. In hoc rerum discrimine patres cum C. Marcio duce sunt populum vehementer ad arma cohortati, et pauperior pars plebis nomen in foro dedit, iisque laetus senatus cum reliquo populo cessit omnem quam collecturi essent ex eo bello praedam; aequum enim visum fuit, ab illis potius praedam accipi, qui egenis domibus relictis eam sibi sanguine comparaverant, quam ab iis qui renuerant periculi et laborum esse participes. Nihil igitur suo marte et arbitrio, nihil contra leges ausus est dux Coriolanus, qui nihil sibi praedae reservans, passus est eam integram inter victores dividi ut pactum fuerat. Sed esto; aliquid contra leges egerit Marcius. An aequum erat hanc praedae partitionem inter victores solum permittente duce severissima exilii perpetui poena multari? An parta ab ejus virtute victoria tali praemio et corona digna erat? An tot ejus politicae virtutes, tam impensum erga patriam studium, et amor, tot in rempublicam promerita non debebant a generoso populo indulgentiam omnem impetrare? Horatius victoriam de Curiatiis parricidio foedavit; citavere leges nefas, sed abstulit virtus parricidium, inquit Florus. Hic ergo quia semel patriam periculo liberavit, judicio populi absolutus est; ille vero qui toties Urbem

servavit et mirifice ejus auxit gloriam, ne poenam quidem leviorem humanioremque impetrare debebat? Nullo ergo jure ad severissimum supplicium damnatum fuisse patet Coriolanum. Caeterum sive attendatur nefarius conatus praecipitandi Marcium e rupe Tarpeja, sive crebri tumultus a tribunis contra illum excitati, sive insolita et iniqua illius judicii forma, sive accusationes in eum conflatae, quarum una rejecta temere confingebatur et altera, sive demum singula illius damnationis adjuncta; cujusque judicis conscientiae patebit Marcium vi fuisse oppressum, et odium invidiamque in eum triumphasse. Hoc autem mirifice confirmat gravissimum Tullii testimonium (L. de cl. or.) = Siquidem uterque (Coriolanus nempe ac Themistocles) cum civis egregius fuisset, populi ingrati pulsus injuria se ad hostes contulit. =

Satis mihi multa verba fecisse videor ut ostenderem et Coriolani actionem esse poemate dignissimam, et ducem illum de patria optime meritum summa injuria in perpetuum exilium fuisse damnatum; perpendamus ea modo quae contra hoc quodcumque sit poema singillatim a quibusdam solent objici. Fatear primum oportet me horrentem fluctus mergique timentem parva quidem vela pandisse vasto pelago. Sed profitebor etiam prout res est, me multis annis reliquisse studia delectationis, ludum, jocum, convivium, sermonem pene familiarium deseruisse; me clarissimorum monitis atque praeceptis contendisse pro viribus, ut hujus poematis structura juxta Horatium Sat. 4.ª exquisita esset ac magnifica. Non una vero causa me ad carmen elucubrandum excitabat. Hoc in primis argumentum visum est caeteris aptius ad poeseos finem assequendum, jucundam scilicet morum institutionem, ut supra dictum est; praebetque ansam describendi frequenter scenas amoris, amicitiae, benevolentiae, gaudii, fiduciae, misericordiae, terroris. Inter italas autem res oculos potissimum de-

fixi in Romanorum historia, ut admirationis, obsequii et reverentiae signum aliquod pro modulo meo praeberem romano populo, qui Urbem incolit catholici Orbis Reginam, totque elapsis casibus et aetatibus miram servat adhuc majorum suorum magnanimitatem, pietatem, constantiam et sapientiam; honoris praeterea causa commemorare volui praecipuos Latii populos Apostolicae Sedis Auctoritati tantopere devotos, quibus ecclesiasticae ditionis princeps constat provincia. Illa vero, quae respiciunt antiquos Italorum mores, ex veteribus Scriptoribus deprompta sunt, et praesertim ex historia antiquorum populorum Italiae auctore Josepho Micalio. Grati autem animi sensus me impellit ad hoc qualecumque carmen Genti Gallorum inscribendum, quae multum sanguinis circa romana moenia effudit, multumque insumpsit argenti, ut Latio rursus pacem donaret, quam etiam nuuc servat militum suorum fortitudine et vigilantia.. Vernaculae vero linguae latinam anteponendam putavi ob reverentiam sanctae Matri Ecclesiae debitam, quae latine loquitur orbi, tum ob illius majestatem sermonis dignam victorum orbis, aptamque Epopaejae, et ob facti ipsius naturam, agitur enim de Latinorum historia. Hac denique mente argumentum hujusmodi elegi, quod in eo exprimi fuse poterant nobilissimi pietatis sensus erga matrem; a pueritia enim hos animi motus expertus sum erga dulcem parentem, quae multis ornata virtutibus me in primis amavit, quam senem multis annis alui laborum meorum fructu, cujus mortem acerbissimam etiam nunc defleo, quam tamen in caelesti beatitate me iterum spero visurum. Haec animo insita vis pietatis me urgebat assidue, ut verbis egererem hujusmodi sensus, eosdemque in aliorum animis excitarem.

8. Haec sunt, de quibus monitos primum volo benignos lectores; alterius modo generis objecta audiamus.

Digitized by Google

In hoc poemate ajunt, ut in **Lucani Pharsalia**, jejunam et siccam facti historiam reperiri, et nihil arte adinventum, et adjectum esse ad ornamentum. Illud praecipue destituitur supernaturalibus Deorum actionibus, quae admirationis alunt affectus in Epopaeja, ac tam magnifice occurrunt in Homeri, et Virgilii Poematibus.

Haec quidem tam evidenter factis et veritati contraria oggeri ab eo non posse opinor, qui hoc poema attento animo perlegerit. Duo hic reprehenduntur sigillatim refellenda, nimirum inventionis inopia, et defectus actionis Deorum. Quoad primum, ut ab ipsa epici carminis natura et partibus ducamus exordium, Epos tria complectitur, dispositionem scilicet, mores, et stylum; breviter de singulis. In dispositione distinguitur apparatus, nexus, et solutio. Status et conditiones personarum tam volscae, quam romanae gentis eo tempore, quo incipit actio poematis, oppositorum studiorum prospectus, ex quibus oritur inde nexus, consilia et causae proximae belli volsci suscipiendi initium hujus Epopaejae constituunt, et primo libro simpliciter, ni fallor, et non ignobiliter exposita sunt. Effectus autem oppositarum conditionum et studiorum, consequentia ex consiliis, et iracundia Coriolani, pugnae nempe, caedes, moerores, et e converso laetitiae, et caetera, quae describuntur, augent gradatim in Marcii corde difficultates parcendi, ejusque vehementer exagitant animum, et in varias rapiunt partes ob desiderium ultionis, et magnanimitatis. Haec sunt in nexu. Preces matronarum, et praesertim Veturiae, quibus Coriolanus seipsum vincit, patriaeque parcit, in solutione sunt, in qua heros ab affectuum tumultu, et a misero iracundiae statu transit ad felicitatem, et ad ineffabile parcendi gaudium. Omnis autem cura adhibita est, ut veluti per gradus periculum augeretur, et a praecedenti sequens oriretur

factum, a statu alicujus personae deflueret altera ipsius conditio, et sic omnes simul partes haererent apte, et conjungerentur, et constituerent unius poematis membra. In hoc insuper juxta artis praecepta subest quasi fundus historiae; et Coriolani iracundia victa a pietate in patriam est certe quidem illustre historicum factum, et quasi operis materia, quae potissimum selecta est, quia ceteris aptior visa est ad affectus ciendos, uti superius innuimus N. 7. In ea tamen actione ornanda magis verisimilitudini, quam veritati studere visum fuit. Nam non infrequenter opportunis locis additi sunt rerum lapsus in contrarium statum, agnitiones personarum inter se, episodia, sententiae, caeteraque ornamenta, ut poema delectaret, instrueret, et moveret affectus. Recte autem existimo cum artis institutoribus, eum qui scribit Epos ad puerorum, leviumque hominum delectationem, omne opus contexere singularibus casibus et heroicis facinoribus, quae ne veritati quidem proxima sint, negligere vero picturas indolis, morumque personarum. At cum nobis propositum sit elucubrare carmen ad cordatorum hominum voluptatem simul et utilitatem, omni contendimus industria, ut tam Volscorum, quam Romanorum apte pingerentur mores, ac proinde retulimus facta, dicta, gestus, et varios personarum status; addidimus colloquia, et disceptationes inter duces, legatos, et senatores de rebus publicis et politicis, ut toto operis decursu videre est. Iam benevolos obsecramus lectores, ut justum ex animo judicium ferant, num vere dici possit in hoc poemate jejunam tantum facti historiam contineri. De stylo postremo loco dicemus; nunc de admirabili, quod hoc in carmine desiderari, affirmant; ajunt enim, cum in eo deficiat actio Deorum, illud excitare nequire admirationis affectum, ut veterum Epicorum carmina. Admirabile vero, quod in Epopaeja spectatur in primis, duplex esse tra-

dit laudata Encyclopedia, omnesque artis institutiones, naturale nimirum et supernaturale. Primum, mirabilia scilicet facta et eventus videntur in singulis libris occurrere. Nam praeterquamquod ipsum Coriolani facinus admirabile prorsus est, cum ejus virtus, ut ait Plutarchus, rerum conversionem tam novam effecerit, ac demum patriae pepercerit, ille ipse imperator in caeteris suis actionibus describitur divina quadam vi et efficientia afflatus, ut supra hominem et sapere et posse videatur, crebro etiam pinguntur miranda facta et dicta romanorum volscorumque ducum et patrum, adduntur quoque picturae mirabilium naturae phoenomenorum etc. Sed neque deesse dicendum est admirabile supernaturale in primo, octavo, et duodecimo libro, in quibus explicatur non jam fabulosa Deorum vis, sed vera divinae providentiae actio res humanas praeordinantis, et gubernantis; Deus enim, ut ait Plutarchus in Coriolani vita, actionem non efficit invitis nobis, verum praebet liberae voluntati exordium et fiduciam, vel spem addit. Neque enim ullae Epopaejae leges prohibere valent, quominus vates non veteribus sed hodiernis populis poema conscribens, antiquorum omittat commenta, et poetice describat divinam providentiam, quae reapse adstitit, et omnia ordinavit facti illius adjuncta, circa quod poema versatur; haec autem inter se omnino non discrepare, sed sibi constare et apte cohaerere patet; licet simul etiam exponantur veterum Romanorum sacrificia, ritus, et falsa religio, quae sunt pars morum in epico carmine praecipue notanda. Quod si describatur ibidem Deus, suos mittens ministros jussa per orbem ferentes, hoc etiam non excedit humanae rationis limites, ut Metaphysica docet. Caeterum ratio suadet, et experientia confirmat, admirabile veteris Mythologiae non esse tam necessarium Epopaejae, ut ejus naturam vitamque constituat, et sine eo

Digitized by Google

poema esse non possit. Ex his breviter perpensis plane liquet, ut arbitror, hanc Epopaejam non laborare vitio Pharsaliae, cujus auctor secutus est historiae ac temporum ordinem, et ferme omnino neglexit inventionis gloriam, ut fatetur ipse Lucani eximius laudator Marmontelius; constat enim in hoc poemate reperiri admirabile tam naturale, quam supernaturale, quod tantopere in Epopaeja delectat.

9. Aliud autem reperit eximius censor hoc in poemate reprehendendum; occurrit enim frequens praeliorum narratio iisdem ferme subadjunctis. Tam absona est, et opposita factis haec objectio, ut jure suspicari liceat eum, qui haec effutiat, vix unum, vel alterum poematis locum, quo describuntur pugnae, oscitanter legisse. Non enim pauca addita esse patet cuique attento lectori ad poematis varietatem, ut superiori numero adnotatum est. Hae autem sunt praeliorum narrationes. In secundo libro Setiae occurrit expugnatio superatis insidiis in nemore positis; in libro quinto refertur certamen, et Volscorum ascensus in Lavinii moenia; breviter autem innuitur agrestium conflictus et caedes in sexto libro; in octavo nocturna pugna describitur Romanos inter et Volscos; decimo tandem libro ductor Marcus refert navale praelium ostiense; de caeteris autem oppidis victis reperitur brevis tantum enunciatio, cui plerumque innectitur eximium aliquod factum imitatione dignum. Haec certamina, quae cum vitam herois adumbrent, locum prorsus habent in Epopaeja, sub diversis adjunctis exposita esse patet cuique legenti, uti exemplis docuerunt poetarum principes Homerus, Virgilius, Tassus. Ut clarius suis rem oculis videat benevolus lector, aut integrum quaeso poema perlegat attente, aut saltem cujuscumque libri argumenta consideret. Temere igitur affirmatur in hac Epopaeja pugnarum descriptiones ad fastidium usque et ad satie-

Digitized by Google

tatem ingestas esse, et nihil in illa varietatis occurrere, quae tantopere animos reficit, ac reparat, ut ait Quintilianus.

Reliquum est, ut pauca de stylo verba faciamus, qui videtur alicui pluribus in locis humilis et abjectus. Ingenue primum fatear necesse est, me in hoc ut in reliquis proposuisse mihi ad imitandum aetatis aureae scriptores, praecipue vero Virgilium, et Horatium, nec fastidivisse unquam limae laborem, et moram. Deinde noverit obsecro benignus lector, me subjecisse hos libros judicio unius et alterius ex philologis et poetis primae notae, quorum non referam nomina, quod cum de clarissimis viris agatur, grati quoque animi significatio inanis ostentatio videri potest. Si quid autem in his libris frigide ac jejune, si quid durum in carminibus, si quid parum numerose, atque etiam parum latine taedio affecerit lectorem, quod non semel occurret in opere longo et difficili, ipsius deprecor indulgentiam, non quia potueram melius, et hunc vel illum locum neglexerim, quod falsissimum esse conscientia teneo; sed quia gravi et valde laborioso instituendae juventutis muneri ab adolescentia addictus, et metuens ne quid privatis studiis de opera publica detraherem, ad singula ut cupiebam perpolienda non satis otii habui. Deinde carmina, quae ab Ovidio animo nonnisi sereno deducta pervenire dicuntur, elucubravi domesticis assiduisque jactatus tempestatibus, animoque anxio et sollicito, praesertim ob frequentes, longas, gravesque valetudines, seniumque parentum.

Atque haec sunt, quae hoc in sermone mihi constitueram dicenda, de optimo scilicet Coriolanidos argumento ad epicum carmen condendum, de facili objectorum, quae generatim hanc spectant historiam, solutione; demum de iis, quae in hoc poemate singillatim censura digna aliquibus visa sunt. Caeterum si

quid hoc in opere non indignum laude doctus invenerit lector, primum Datori donorum omnium Deo, tum illi gratias agam, cujus agnoscam in me benignitatem; sin autem videbitur hoc poema parum habere varietatis, splendoris, motusque animorum, ut homines a vitiis deterreat, inflammet ad virtutes, primum me ipsum contemnam ac despiciam, tum exorabo benevolum lectorem, ut libenter saltem excipiat diuturnos bonae voluntatis adnisus ad opus jucundum simul et utile perficiendum.



Digitized by Google

LIBER PRIMUS

ARGUMENTUM

Divina Providentia omnia fortiter et suaviter praeordinat, ut Roma poenas luat ob injustum Coriolani exilium. Causarum belli volsci expositio, cui dux praeficitur Marcius. Arma gens volsca comparat, mittitque Alcanorem et Haemonidem legatos ad Etruscos, Ausones, et alios populos, ut foedus ineant contra Romam. Volscus Senatus amplectitur belli administrandi rationem a Coriolano propositam. Convivium, et dona Marcio oblata a Tullo, et Camilla, dum filium Grajum eo sub duce mittunt ad bellum. Ob Graji discessum perturbatur Amata Anxuris filia juveni desponsata, quam parentes rus ducunt, ubi quoque ejus cor amore agitatur. Pars exercitus volsci Circaeum occupat, et incolae romanae originis cum duce Numitore Romam commigrant, ubi Senatus miseris fert opem, armisque pubem instruit, quam dux Numitor hortatur ad bellum. Volumnia Jovem precatur, ne quid triste inter arma contingat Coriolano.

Caelicolae, memorem ductoris promite cantu
Iram, quae volscas rapiens in bella cohortes
Prostravit Latii populos, et luctibus Urbem
Incendit (superûm movit pater omnia vertens
In commune bonum virtutem et crimina); pulchram
Exulis hinc pugnam durumque monete laborem,
Quo se subjiciens patriam non obruit armis.
O studiis belli et pacis celebrata per orbem
Gallica gens, decus Europae, quae sternere Martes
Elatos gaudes, subjectis parcere, servas
Quae Latio partam generoso sanguine pacem,
Victoris mitisque ducis ne sperne canenda
Facta, tibi puro ac memori quae corde dicamus.

Digitized by Google

Tuque nepos olli, Europae qui fata regebat,
Gallorum Lodoix Praeses, vos Curia celsa
Ingentis populi Patres, a pondere pressae
Curarum modicam requiem concedite menti,
Pandite et incomptis attentam versibus aurem,
Unde sonat pietas, sapientia, robur in armis.
Qua rex astrorum roseo diffundit eoo
In terras radios, caeli regione suprema
Se pandit nubes, lumen torrentis et instar
Rumpit in immensum sese per caerula fundens;
Heic autem stabilis radiantibus intus et extra
Electri veluti flammis crystallinus orbis
Apparet, cujus limbos it fulgida circum
Fascia purpureo et glauco saturata colore,
Roscida ceu sole adverso depingitur Iris.
Tollitur in medio par monti regia sedes,
Ad quam mille gradus auro gemmisque micantes
Ducunt, innumera et circum velut astra coruscant
Agmina Spirituum. Fundunt hi carmen ab ore
Summe tibi Genitor, non jam cui Graecia quondam,
Romaque combussit super aras impia thura;
At tibi cui celsae naturae propria vitam
Vis dat alitque; tibi qui non mutabilis aevo,
E nihilo ducis mutabile quidquid ubique est;
Quem resonat tellus, immensi et machina caeli,
Quo domus et pagus, surgentia regna reguntur,
Ac ea quae terra fumant, commercia, bella,
Et sortes hominum quovis subsidere, primo
Temporis a cursu postremi ad lumina solis.
Illius e vultu jugis nam labitur imas
Ad terras radius; sed qui non permeat intus
Innumeras vitas, quae pennis aethera, pontum
Aut pinnis tranant, pratis aut montibus errant.
Mens hominum ante alias caelo dilecta creantem
Servantemque manum non solum cernit, at isto

Virtutis verique notas splendore; voluntas
His ardens radiis ad rectum fertur, et horret
Omnigenas scelerum facies; hinc fulget in orbe
Inter diversas habitu quam vestis et armis
Tam linguis gentes mirabilis ordo, fruantur
Libertate licet. Qui vero morte carentem
Destinat ad vitam mortales, juris amator
Innocuas solet ille domos circumdare luce
Atque opibus. Contra suescit potare veneno
Crimina dira suo, longoque agitare dolore
Improba corda; famem his addit morbosque luemque.
Cum vero in saevam populi mens conscia fraudem
Conjurat, reliquas a noxa ut terreat urbes,
Clara dat aeternus vilescere nomina Rector,
Et rerum dominis certatim illudere victa
Oppida, bellorumque premit feritate superbas
Gentes; sic populum torquet, qui jura refringit
Naturae in terris, cui sub nigra tartara servat
Infandos luctus, immortalesque furores.
Ille videt celso e solio, dum prima Quiritum
Saecla revolvuntur, jam libertate ruentem
Inque suos Urbem diram; nam quatuor annos
Injustis positis iris non brachia tendit
Extorri Coriollano, qui sanguine famam
Et patriae produxit opes. Tunc ille latenti
Omnia consilio versans, jubet ire ministros
Qui vigilant, rectus ne terris corruat ordo.
Olli per stellas immensi ac aethera caeli
Auratis pennis labuntur ad itala regna
Ceu lucis radii. Pars oras numine complens
Antiacas, procerum mentes, ut jussa facessant
Exulis egregii, flectit; prius agmina contra
Romulidum rapiant socios, et caerula claudant,
Atque alias cogant acies; tum denique totis
Viribus oppugnent Urbem. Pars exulis ori

Digitized by Google

Insuetum inspirat lumen sonitumque metumque
Ingentesque duci sensus motusque ministrat;
Suggerit et Volsco virtutem, ut vincere turpe
Terroris discat, pulchram et per vulnera mortem
Oppetere. At dubios pars vellit corde timores
Finitimo populo Romani nominis hosti,
Ut conjuratas jungant in foedera dextras.
Pars contra saevos concussam mittit in Urbem
Dissensus, aliqui ut certent se effundere portis,
At renuant plures committere praelia campo.
Jamque furor belli succendit ad horrida mentes
Arma, ut se fundant acies e moenibus, omni
Et certent nisu romanum exscindere nomen.
Cuncta manu forti ac suavi sic ordine ponit
Aeternae legis Vindex, ac promere clara
A noxae semper tenebris miracula gaudet;
Quaeque superba putat rerum ignorantia ferri
A coeco casu, sapienti a mente moventur,
Cui non tam orbis iners, quam libera pectora parent.
Gens fuit, ob cujus studium durosque labores
Exsiccata palus flavas pomptina ferebat
Foecundis fruges agris, atque oppida donis
Plusquam ter septem veluti viridaria laeta,
Ceu pulchras baccis oleas ad flumen alebat.
Ordo sacerdotum procerumque micabat ut astrum,
Cujus erat populis veneranda oracula legum
Edere, nunc lituum, nunc ferrum stringere, donis
Virtutes, artes ornare, incendere, poenis
Infrenare scelus; rerum cui summa potestas
Atque magisterium populi (sic prisca docebat
Relligio) divum donatum a numine. Felix
Gens libertatis vindex et munere glebae
Et ponti dives Volscorum nomine laetos
Incoluit campos circaeo a vertice ad oras
Antiacas, tuscum quas circum fluctibus aequor

Digitized by Google

Ausoniaeque sonant urbes. Vix arcibus Antî
Sublatum belli signum; vix aere canoro
Increpuere tubae, fremitusque auditus equorum est,
Protinus ut paleae jactantur turbine, volscae
Turbantur gentes, litus sonat omne tumultu:
Rastros et nitidas falces lugentibus arvis
Effera moerentes agnos vitulosque relinquens
Antiquosque lares curvosque aetate parentes,
Frenat equos pubes, agitatque in littore currus,
Exultatque fremens accincta micantibus armis;
Ductores primi, juvenis nullique secundus
Audaci ingenio Grajus, seniorque sagaci
Mente armisque potens Anthaejus. Robora pubis
Tres supra viginti urbes in praelia mittunt
Florentes olim immensi miracla laboris,
Nunc ubi teter odor coeno respirat aquarum,
Avertitque palus morbis pomptina colonos.
Oppida praeterea circaeo a culmine ad Antî
Littora, collectum certant educere ad arma
Agmen; ceu quando redeunt florentibus agris
Tranquillo volucres hyblaeae vespere, murmur
Undique fit, dulci dum stipant nectare cellas;
Sic dum fervet opus Martis, peditesque equitesque
Antiacos currunt ad muros; omnia late
Armorum resonant strepitu fremituque viarum.
Impiger Antiacae jam fert e limine portae
Aequorum versus surgentia moenia silvis
Alcanor gressus, fudit quem lucis ad auras
Altum Praeneste, exaequans vir corde sagaci
Canitiem. Volucris transmittit pinus ad aulam
Etruscam Clytium, clara qui Caerite natus
Resque sciens Italûm, Cereris Triviaeque sacerdos
Praecingit galeam ramo frondentis olivae.
Eloquio pollens passus in calle latino
Haemonides celerat, peperit quem mater Aletri

Digitized by Google

Divitis et populo et campis; erectus ut infans
Constitit in plantas, palmas oneravit acutis
Telis; tunc agmen volscum ducebat. Ad acres
Hic populos tendit, quibus Auson natus Ulyssei
(Ut fert fama) domos posuit; qui vomere campos
Samnites findunt; rastris duroque bidente
Qui montes subigunt auruncos; hernica saxa
Vestinosque colunt colles; qui marsica rura
Exercent, noruntque manu bellare, colubrûm
Atque sopire truces herbis et carmine dentes.
Jamque dies optata aderat, qua exercitus omnis
Antiacis sese portis fundebat ad arva;
Et Tulli generosa sequens praecepta parentis
Jam volscum Grajus thoraca indutus ahenis
Horrebat squamis laterique accinxerat ensem,
Et non expertus metuenda pericula Martis
Exultans animis vacua spe praecipit hostem.
At genitor claram prisca de gente Camillam
Uxorem aggreditur Tullus, famulasque parare
Accelerans mandat laetis convivia mensis.
Ipse autem armamenta petit, quem pone secutus
It Grajus comes, et Rufus fidissimus. Olli
Ut circum volvere oculos, ubi fulgida latis
Pendebant arma e muris, capit impiger heros
Ingentem gladium gemmis auroque micantem;
Mandat et horrisonos arcus pharetramque nitentem
A Grajo ferri; capitis cava tegmina claro
Perfecta argento dat Rufo. Haec dona ferentes
Hinc Veturiadem petiere, cui ore sereno
Sic Tullus. Fortis tibi vix lanugine sparso
Malas arrisit ductor fortuna secunda;
Dumque decem et septem magnos sol aureus orbes
Perfecit, nunquam plura inter praelia claro
Serto et muneribus non te victoria constans
Ornavit. Faciles jam nunc ita Juppiter aequus,

Ut gens volsca rogat, tibi palmas annuat. Ecce
Ex opibus quaecumque meis in sedibus adsunt,
Arcum, fulgentem gladium, gravidamque pharetram
Dona cape et laetare potitus. Tuscus habenda
Tradidit ipse manu mihi rex, cum fervidus aevo
Visendi studio pandebam lintea ventis
Ad Pyrgi ripas et ubi Populonia surgit,
Ac dites portus, tuscas mirabar et artes,
Et regum moles clusinaque moenia, vastos
Et varios labyrinthi orbes fraudesque viarum.
Quid moror? Hoc ferrum diram dux fortis in Urbem
Corripe, et ingentem factis fer ad aethera famam
Volscorum. Tulli conjux nec cedit honori,
Textilibusque onerat donis, et gestat amictum
Auro intertextum, decorant cui laurea serta
Limbos. In medio ante focos sacrosque penates
Nudantem vultus subitaque in luce nitentem
Cajum fidenti similem, similemque precanti
Aspiceres, Tullum tendentem brachia forti,
Magnanimumque duci figentem lumina Grajum,
Cujus succendit malas amor, aemula virtus,
Atque stupor, mira quem mater finxerat arte:
O Tulli, uxoris, volscae spes gloria gentis,
Hospes, ait, cape et haec manuum monumenta mearum,
Hisque artus praecinge. Vale o mihi laetus et hostes
Funde. Hilares oculos volvit per singula Cajus,
Et gratum loquitur. Postquam dux arma requirens
Induit, ipsa humeris clamydem suspendit ab altis;
Hinc alacres ad tecta vocat, deducit et ultro
Tullus, ubi soliis circumsedere paratis
Marcius armipotens, et Moenas fidus, et acer
Crajus, datque cavis manibus formosa puella
Limphas; ast agili mantilia candida mensis
Insternunt aliae gressu gestuque modesto,
Et calathis cererem expediunt, et lancibus exta

Tosta boum gestant fumantia ; Tullus et ipse
Et conjux pateras statuunt et vina coronant
Ille duci claro, haec nato. Mora nulla ; secatas
Dente avido vellunt escas, et gutture pleno
Vina bibunt. Ardor postquam compressus edendi est,
Tullus, cujus amor patriam consistere mentem
Haud sinit, e solio surgens pictisque tapetis
Turbatis oculis et voce haec fatur : ab annis
Corpus languescens, aliam vis dura legendi
Ad bellum pubem aegrum me divellit alumni
Dulci complexu. Ergo animae, dux inclyte, serves
Dimidium oro meae, spemque et solatia volscae
Gentis. Martis opus grave te tolerare magistro,
Et tua mirari teneris consuescat ab annis
Facta ; geras patris curam puerumque parenti
Victorem reddas, ut morti lumina laetus
Claudam. Si contra quid laevum fata minantur,
Si quid triste manet puerum inter praelia ; summe
O hominum genitor, precibus qui flecteris aequis
Juppiter, absume hanc animam inter brachia nati,
Nec me tot lacrimis serves longoque dolori.
Multa gemens genitor miscebat talia Tullus
Et Graji haerebat complexu. Sed tremefacta
Digressu mater, vicini et imagine belli,
Oro per has lacrimas, miserae si cura Camillae
Cor tangit, puerum nondum discrimina dura
Expertum pugnae, columen requiemque senectae
Defende hunc puerum, dux optime. Quomodo mater
Cara tibi ante omnes, uxor dilectaque pro te
Oraret, supplex pro nato exoro ; peribit
Mater, si natus pereat. Sic illa ; sed ingens
Dux gemit et pallet, vix conjugis atque parentis
Auribus insonuit nomen ; tum farier orsus :
Ipsa prius juveni virtus sat ferreus umbo ;
Posterius nostrum forti inter saeva pericla

Pectus erit scutum; vobis persolvere partim
Sic dabitur grates; semper mihi frater amore
Hic erit, et simul ut fratres in bella ruemus;
Extollens clarum sic Grajus nomen ad astra,
Lux erit auxiliumque patrum. Sapientia vero
Vestra labat; certas etenim mens aegra ruinas
Ante tubam fingit, cum spes resplendeat ingens,
Nam juvenem flos Ausoniae viresque tuentur.
Et non insuetus dux bellis. Pellite luctus,
Et pulchras sperate dies. Ita Juppiter altus,
Qui nube horrisona sidens pia respicit aequis
Facta oculis, omen firmet! Quae talia fatus
Marcius os clausit; sed claro sanguine Amata
Anxuris exoriens virgo formosa, petebat
Quam Grajus, limen subit inter utrumque parentem;
Et juvenis cernens os imo e pectore crebros
Dat gemitus, ignis calefacta per ossa cucurrit,
Atque fluunt lacrimae, roris ceu depluit imber.
Nam pavet ausonios ne provocet ense leones,
Et ferat immanes sponsus male providus iras;
Pulchra licet moerens tum vertit verba Camillae,
Crebraque commiscens virgo suspiria voce
Exorat, natum moneat, ne in saeva pericla
Irruat audacter. Sed territa pectore mater
Ceu virgo verbis, oculis, et fletibus instat,
Haereat ut Marcî lateri, quando ingruit horror
Armorum; caedes inter vigilantia mentis
Dirigat illius gressus; pudibunda puella
Incipit atque rubet, mediaque in voce resistit,
Et tandem lacrimans: ardorem comprime belli,
Nec subeas praeceps graviora pericula; namque
Qui te cumque manent ista inter praelia casus,
Me dilecte manent Grai. Sed protinus ille
Ore refert: tantum duxerunt numina certe
Fausta virum nostros ad muros; numina primum

Hunc hostem volscum, belli volscumque crearunt
Rectorem; certe modo numina fortiter urgent,
Hoc duce praeclaras discamus Martis ut artes.
Divorum jussus alacres sectemur, et astris
Ferte manus, claros ut mox ad templa triumphos
Ducamus; lacrimis non jam nos mittite contra
Hostes Ausoniae. Generoso pectore volscus
Haec ductor fudit; respondent agmina voce
Horrisona; fortis pertentant gaudia pectus
Tulli, quod crescat virtutis splendidus haeres
Majorum Grajus. Sed contra pulchra puella,
Atque parens pallet, rubet, aestuat, et tremit artus;
Hinc trepidans pietas, hinc gaudia spesque serena,
Hinc amor ignescens, hinc cura; hinc pallidus horror
Illarum jactant pectus, ceu caerula venti.
Tum festinantes discessum Marcius acer
Et fidus Moenas et Grajus limina linquunt,
Atque suos Anxur ducens bonus alta revisit
Tecta. Sed infelix virgo lenire dolorem
Haud potis est. Pavitans ceu dira cuspide cerva
Laesa latus queritur, silvis et montibus errans;
Sic miseras complet virgo plangoribus aedes,
Intextae vestes auro et velamina terra
Sparsa jacent. Pater haec cernens atque anxia mater
Confusae reddunt menti solatia verbis,
Hortanturque modum flagranti ponat amori,
Non tenuem spem addunt, animosque medentur anhelae
Ruris deliciis, ubi laetis otia fundis
Ac secura quies. Ferventem ardore puellam
Sed cari juvenis circumvolat undique forma,
Et ludos inter stat, flet, suspiria ducit.
O quoties nimio praeceps optavit amore
Ire comes Grajo dilecto, et sola movere
Incepit gressus! Subito sed victa pavore
Constitit, indoluit, quod non optata secundet

Vis animi ac robur membrorum. Nocte silente
Lumina si tandem claudat defessa sopore,
Exaudit sonitumque pedum generosaque verba
Magnanimi, seu cernit equo volitare per arma,
Seu scalas illum scandentem prendere celsa
Tecta manu; haud placidam membris dat cura quietem.
At populo coram medioque in lumine templi
Thure vaporati ductor summusque sacerdos
Jam tulerat Tullus Fortunae sacra diisque
Auspicibus coeptorum operum, quos vana colebat
Relligio. Et patriae jam libertatis amore
Volsca acies sese portis effundit apertis.
Nequa manus vero tollat se infensa repente
A tergo, armorum partem rapit inclytus exul
Contra Circaeos Moena Grajoque secutus;
Nam ferrum renuunt in Romam stringere, crebro
Et volsci rapiunt messes et munera campi.
At super Antiacos agros se caetera pubes
Armis exercet, reduces ac tempora lauro
Cinctos expectat. Vir princeps Urbe catervas
Ornatas donis tyrrheni ad littora fluctus
Tarquinius misit bellorum doctus et artes
Pacis. Romanis tum Volscûm turba colonis
Sese conjungens aprico in culmine montis
Circaeum posuit. Celerans peditesque equitesque
Cajus agit. Coeni, volscae navalia gentis,
Arva prius calcant acies; clangore tubarum
Atque virùm laetis resonat clamoribus unda
Et litus; jamque Asturae sinuosa fluenta
Primorum tardant cursum. Praetervolat omnia
Agmina, praecipitique jacit se Grajus in amnem
Saltu, spumantes et palmis dividit undas,
Oppositasque tenet ripas, alacerque phalanges
Voce vocat. Tranant illae clamore secundo
Certatim raucum fluvium, madidaque gravatae
Digitized by Google

Veste licet, pariter Nymphaei flumina pulchra
Trajiciunt; collem hinc superant, semperque virentes
E lauro et myrto silvas, ubi filia solis
Circe habuisse domum niveo de marmore fertur,
Inque feras vertisse homines, moresque ferarum
Incautis animis magicam inseruisse per artem.
Jamque iter emensae sinuoso e tramite primam
Suspiciunt urbem. Tyrrheni ad littoris oram
Mons apennino compar super aequora praeceps
Circuitu vastus se attollit; plurimus umbra
Hunc cingit lucus, tibi quem Feronia sacrum
Cum templo ingenti gemmis auroque referto
Coeca superstitio fecit. Sed vertice summo
Vasta et laeta jacet tellus; Elpenoris urna,
Qui comes Aeolidis fuit, heic de marmore fulget.
Ille domus cecidit celso de culmine praeceps,
Ossibus et fractis humero collapsa pependit
Cervix. Hinc oculis aequor patet; insula multa
Surgit aquis; Lybiae lustrantur littora longe,
Et vastus pomptinus ager, collesque latini,
Impositaeque jugis arces, atque oppida centum.
Convalle e media Circaei a nomine Circes
Tolluntur turres et propugnacula tuta
Bellis. Emenso cursu cum conderet undis
Sol rutilos currus, ductor reparare jubebat
Militibus vires, terra et requiescere fessos,
Atque artus escis mollique levare sopore.
Sollicito volvens sub pectore multa silensque
Ipse sed incedit turres portasque superbas,
Quas armis volscùm prospectis clauserat hostis,
Explorans; fidus Moenas comitatur euntem,
Moenas qui dulcem patrios liquisse penates
Auribus accipiens dominum, sponte exul et ipse
Egressus portis fuit aspera fata secutus
Illius; in bellis acer, cui maxima rerum

Verborumque fides, hominum cultorque deorum.
Vix autem Marci properantis rumor ad aures
Pervenit, advigilans Numitor dux altus in urbe
Belligeros omnes romano sanguine cretos
Et quotquot pugnare parant, vocat, injicit ignem
Pectoribus; supra turres, super ardua ponit
Murorum pubem; supra pomeria ferri
Praecipit omne genus telorum. At origine volsca
Maxima Circaei populi pars infremit ore,
Et luxisse putans solem, quo insurgere stratos
In Romam liceat Volscos, permulta latenter
Moliri; plures Romanis scandere muros
Immixti; verbis odium simulare cohortes
In volscas; coeptum quo perficiatur, in urbe
Versari multi. Jamque unda marina rubebat
Aurorae radiis; cum bello rauca cruentum
Buccina dat signum; properant atque agmina Volscûm,
Quo mage murorum moles et porta resistunt;
Nam Veturiadis contendit ad ardua virtus.
Discurrit fortis Numitor per moenia. Cajus
Et Grajus, Moenasque ad pugnam voce juventam
Inflammant; volscum cum protinus irruit agmen,
Telorumque strues complectens dejicit altis
E muris, fidum sociis portasque recludit.
Quas manibus rapiant incassum lumine torvo
Romulidae inquirunt hastas; praetendit olivae
Pars populi ramos, et Cajo occurrit et orat
Magnanimum morem ne ponat; et agmine septus
Ingrediatur ovans limen. Tum maximus armis
Marciades, laeto resonant dum cornua cantu,
Arces ingressus, populorum munera volscûm
Auratam galeam et gladium, cui lucidus ardet
Ex auro capulus, totumque nitens elephanto
Includit vagina, argenti pondera et auri
Accipit; Aeneadas et Circes urbe colonos

Degere dat placidus. Verum generosa juventus
Et constans animus Numitoris pellier orco
Servitio Volscûm praeponit. Fervidus ira
Includi fastum Grajus jubet arcibus. Ingens
At ductor coecas victorum temperat iras,
Et placidus victis pubem dimittit inermem,
Quotque migrare parant; deditaque repellit ab urbe
Bellorum clades. Tum celso e vertice saxi,
Unde oculis Latium, camporum et lata patescunt,
Dux sublimis equo, Martis ceu stella refulgens,
Protendit dextram, digito signatque superbam
Confertis Urbem Volscis, et fulmina belli
Congeminare jubet romanis arcibus, acres
Succendens iras, veteres refricatque dolores;
Attollit dextram vocemque, et jurat in Urbem
Volscus. At ille ruit collis de vertice septus
Armis, ceu nubes suspensa in monte nigranti
Si lapsu ad valles descendat grandinis imbre
Fulminibusque gravis, pallescens arva colonus,
Pastor oves linquit, fugit ad cava saxa viator.
At gens quae constans Circes ad littora Volscûm
Jussa pati renuit, Romae jam moenia cernit.
Ante fores ludunt pueri, et festiva juventus;
Pars acres curvant arcus, et spicula torquent,
Et certant ictu et cursu; pars aequore campi
Ardentes exercet equos, se immittere saltu
Et fossas transire docet fluviosque minaces,
Currere, stare loco, partes se vertere in omnes.
Ast ad gramineum ludit prope moenia campum
Pubes; pars nudis exercet membra palaestris,
Injicit aut sese praeceps in flumina (circumque
Exiliunt stillae) gaudetque agitare per undas
Brachia mille modis; pugnae simulacra sub armis
Pars ciet, ac rapidis gradibus confertur in hostem,
Tela vel ad metam resonanti vibrat ab arcu;

Aut stringens gladios exstructum ex abiete secta
Saltu scandit equum et celeres moderatur habenas;
Moenia, vicini colles, et Tibridis undae
Festiva resonant ludentis voce juventae.
At portas intrat puerùm matrumque senumque
Turba gemens fatum Circaei raptaque tela;
Arma fremit pubes ira flammantia pandens
Lumina. Circumfusa ruit studiosa videndi
Plebs Romae, saevo vindictae ac igne rebelles
In Volscos ardet, simul et suspiria ducit
Extorrem miserans turbam, cui linquitur ultra
Nil vitam praeter; fessos hinc excipit ultro
Hospitio, recreatque epulis et munere bacchi;
At procul aspiciens tenues insurgere nubes
Patrum consilio et fatis innixa secundis,
Fulmina non Romae lapsura veretur ad arces.
Mens patrum ast alacris communi intenta saluti
Telis accingit juvenes, quos acer in armis
Ordinibus Numitor certis discernit et omnes
Instruit ad bellum, veluti si moenibus hostis
Ingrueret; gravibus tum dictis urget ad arma:
Romani, meminisse decet nunc crimina volscae
Perfidiae, Circes quae in muris ocyus arma
Nobis eripuit. Cupidis opus imminet ingens
Nunc Martis. Vestrum in diras nunc promite robur
Gentes, et placitas alacres invadite pugnas.
Antea Circaei pro muris spicula fortes
Corripuistis; adest nunc Urbs praeclara tuenda
Patria Roma, parens antiqua. Domate rebelles
Et victos toties populos; ad limina portae,
Ad vallos, supra turres, quocumque vocabit
Sors belli, ducibus parentes currite; serto
Ornati paucis elapsis solibus urbem
Circaei, et cultos iterum calcabitis agros;
Sic ait atque virùm succendit corda furore.

Digitized by Google

Occiderat Phoebus; caelo non lumen amicum
Astrorum, pulchram velabant nubila lunam;
Conticet Urbe fragor; somno dant corpora fessa
Romulidae. Saevo turbata at pectora bello
In tacitis umbris, malefido picta timore
Aegra mente volat cum tetrior omnis imago,
Pro dulci metuit formosa Volumnia Cajo,
Ipsius atque sinus gemitu velut unda tumescit,
Hinc puerùm placidum subiens penetrale, jacentes
Excitat e strato. Dumque illis brachia somno
Palpebraeque cadunt, voces ad sidera jactat:
Omnipotens genitor Divorum, maxime custos
Juppiter Aeneadum, votis si flecteris ullis,
Marcì membra mei ne tangant spicula; fortem
Serves, ne mater senio meritisque colenda,
Exulis et conjux insons, tenerique puelli
In jugi jaceant luctu. Si pulsus ab Urbe
Dux sine labe tuis aris imponit honorem,
Respice dive pium, miserere indigna ferentis;
Horum qui tendunt puras a crimine palmas
Aure preces hauri, miseris et redde parentem.
Sic fatur lacrimis gemebunda Volumnia obortis,
Ac teneros lecto pueros amplexa reponit,
Villosoque fovet frigentia tegmine membra,
Atque facem velans hortatur denuo dulcem
Ut requiem capiant, et verbis oscula miscet;
Cum tandem somno claudentes lumina cernit,
Incumbens strato membris dat fessa quietem.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS

ARGUMENTUM

Romae Senatus fruges in horrea colligit, mandat Marco Ostiam defendendam, et gentes Romae socias hortatur ad arma. Torquatus dux romanus Setiam ingreditur, Albinus Lavinium, Carbo Laurentum, unde Teucer fastum deponit; aliique ductores properant ad alia oppida regenda. Redux a Circaeo Marcius sese jungit cum acie reliqua, cujus enumerantur duces; et mittit Ufentem ad castra ante Romam ponenda, et ad ligna caedenda, ut condantur belli machinae. Volsci proceres, Tullus, et Amata cum parentibus spectant a turri acies per campos pomptinos gradientes. Setiae expugnatio describitur, ubi Graji, Marii, Volusi, Corae, et Itali eminet fortitudo. In ea pugna vulneratur Moenas. Coriolani pietas erga Gilippum, et magnanimitas erga Torquatum, qui Coriolanum hortatur ad ignoscendum patriae. Marcii pietas erga milites defunctos, et vulneratos. Romae Senatus bellum intra moenia expectandum decernit, et quinos mittit legatos Coriolano, qui denegans pacem Sulmonem debellat; Cora ponit arma; Excetra vero vi capitur. Legati Romam redeunt; at patres triste populo nuncium reticent, novamque meditantur legationem. Veturia Jovem pro patria deprecatur.

Fluctisonis Antì a ripis ad Tibridis oras
Jam conjuratas in Romam tela novare
Non paucas urbes patrum sapientia spectat;
Solliciti firmique simul tum more parentis
Nil non expertum linquit, ne diruat Urbem
Turbo. Refert aeris multum laetusque talenta
Argenti belli nervos, et limina portae
Quaestor equis intrat, Romam quae ditia dona
Magnanimum mittit Latium, pietasque sabella.

Digitized by Google

Undique colligitur certatim copia frugum,
Ut procul a muris vicini pallida belli
Nata fames absit. Procedit multa sabinis,
Multa ceres tuscis, Cumarum multaque ab oris,
Fluctivagis vectam quam puppibus Ostia portu
Accipit; hinc portas subeunt longo ordine currus,
Nutantique gradu mediam illabuntur in Urbem
Ingentique gemunt sub pondere. Murmure laeto
Undique plebs collecta cicer frumentaque flava,
Pallentesque fabas, ciceras et vile phaselum,
Et pelusiacam lentem, robustaque farra
Effundi plaudens inspectat in horrea nubes
Pulvereas inter. Curat mens alta Senatus,
Ut si quis rapiat casus, disponat ad arma
Vulgus; nec temere metuit, ne fraude Tribuni
Civilis belli flagrent in moenibus ignes,
Tum cum volsca furit tempestas. Currit ad Urbis
Tutandos ductor portus; et fortibus ausis
Praeclarum Marcum, multas qui compulit orco
Volscorum fortes animas, capit Ostia muris
Aequorea; hunc ultro natus Lucilius armis
Clarus, magnanimum genitorem ut numen adorans,
Subsequitur. Patrum quoniam mens cauta veretur,
Ne classis tusci festinet ad ostia Tibris
Antiaco portu erumpens, et claudat opimum
Pontum Romulidis: hinc si quis ab aequore turbo
Ingruat, insignem belli rerumque magistrum
Dant patres; sequitur conjux ad limina Romae
Martia, complectensque gemit, lacrimansque, valete,
Exclamat. Patrum pectus nec inane movetur,
Ne Romae socias primum labatur in urbes
Armorum nimbus; dives tum Setia robur
Spirantem recipit Torquatum; moenia clara
Lavinî Albinus doctus disponere celsis
In muris pedites intrat, quem filia virgo

Digitized by Google

Et florens aevo Veneri non cedere digna
Ore verecundo sequitur cum matre. Cruento
Aeratas Mutio portas arx algida pandit,
A quo divelli frater, genitorque senecta
Lentulus oppressus nequeunt. Se porta recludit
Laurenti resonans Carboni, turbaque forti
Obvia dat plausus; illo nam frena regente
Urbis praecipitat Teucer, qui sanguine clarus
Dives agris, dives positis in foenore nummis,
Sicut vile luti spernebat vulgus, et ipse
Despectus cunctis. Tua versus moenia, Bola
Nixa jugo viridi, florens et pube virorum,
Urget equum volucrem Titus dux impiger armis.
Romanus castella Corae conscendit, et alter
Ad vos bellipotens, Coriollum, Sulmo, Bovillae,
Dux venit; et sociûm reliquas mittuntur ad urbes,
Ut desueta diu populi accendantur ad arma
In Volscûm gentem. Circaeis tempora lauris
Interea sese jungit redimita juventus
Agminibus laetos Antî linquentibus agros,
Et propero gressu, festis clamoribus omnis
Dives equis legio procedit, milite dives;
Pulsa sonat tellus; colles camposque patentes
Finitimae gentes obducunt. Oppida servans
Agmen protendit collum de moenibus altis,
Lucida scuta tenens, hastas, galeasque micantes,
Invidet ac turbis, saeclis narranda futuris
Quas ad facta rapit dux ingens. Grajus in arma
Tulliades, forma insignis viridique juventa,
Pulcrae spe famae succensus, et ore sereno
Agmina prima movet; senior postrema coercet
Solerti mente Anthaejus, quem Setia misit;
Magnanimusque Dolon, Frusino quem divite gleba
Nutriit, et Marius qui Caeni litora linquit.
Frento ferentinas acer domitorque ferarum

Prosequitur; juvenem villosi contegit ursi
Pellis, et in galeae radiantis vertice penna
Multicolor nutat. Signinis Silvius arvis
Editus in lucem, clypeoque insignis et armis
Umbro veliternus graditur, cui proximus Ufens
Montosis ortus Nursis, hominumqne deumque
Interpres Volusus privernas. Pulcher in armis
Pometiae incedit proles, cui carmina cordi
Et dulces citharae, Elpenor; nec distat ab illis
Italus et Palmus quos dives Anagnia vidit
Nascentes, juvenes, quibus haud praestantior alter
Intorquere graves hastas et spicula cornu;
Subsequiturque Coras feriendo concitus ense
Corpore procero, ingenti metuendus et hasta,
Quem Cora nutrivit. Magnos et maximus inter
Armis et laena praeclarus Marcius, ostro
Instratus quem portat equus spumantia maudens
Frena; ducem fidus Moenas comitatur euntem.
Vix stetit, atque oculis volsca agmina circumspexit
Impiger armipotens, ad sese protinus acrem
Advocat Ufentem, praecurrat ut agmine septus,
Atque in conspectu Romae tentoria tollat,
Quo saevus tumulo tendebat Claelius olim;
Tum petat albanos lucos ac transferat intra
Vallos annosas pinus et robora, celsae
Ut belli moles trabibus ferroque struantur;
Cum rapidis aciem sociis praetervolat Ufens.
Jamque ad pomptinos properans pervenerat agros
Luce nova radians dux Volscûm, et lumina gentis
Belligeram et pubem festiva voce vocabat.
Fulgentem linquunt ipsi tellure ligonem
Agricolae; a campis certatim, a moenibus ingens
Turba ruit plaudens victori haud sanguine foedo.
Armipotens Tullus cum clara conjuge, volsci
Et proceres auro fulgentes celsa tenebant

Moenia, turris ubi se caeli attollit ad auras,
Ardua prospectans campos, gaudentque tuendo
Aere renidentes acies. Pulcherrima rure
Corde micante redux subito huc ascendit Amata,
Anxia quam mater genitorque sequuntur. At illam
Voce vocat Tullus: propius me accede, sedeque
Heic mecum, spectes ut carum filia sponsum
Praeclarosque duces. Cui virgo: dulce, decorum
Sidere te propius, pater; inquit, lumina vertens
Huc illuc, quaeritque nitentis frontis honorem.
Ut juvenem reperit, primis cui vixit ab annis,
Assurgit dextram tendens facieque rubente,
En, ait, en Grajus Moenae magnoque propinquus
Cajo; quae circum nova gloria fulget! Et alto
Corde trahit gemitum, lacrimaeque per ora volutae.
Finitimi at subita populi formidine capti
Marciadi occurrunt pia verba et dona ferentes,
Lanigeras pecudes, elata et fronte juvencos,
Setigerosque sues, et vina liquentia. Ductor
Circum convertens oculos nil pectore toto
Romulidas praeter vestigat in aequore campi;
Obscuro esuriens veluti digressus ab antro
Infrendensque leo stimulat se verbere caudae,
Et torvo circum scrutatur lumine praedas.
Nulla sed apparent fulgentia cominus arma,
Nec procul in Volscum properant. Jamque arva premebant
Et curvos luci calles, ubi moenia surgunt
Celso imposta jugo, imperio devota Quiritum;
Atque oriebatur collis de vertice pendens
Setia, quae forti narratur condita prole
Alcmenae; circum florebant caecuba vitis,
Palladiae frondes, artes bellique togaeque;
Exspirans vultu spem, non hostilia circum
Agmina respiciens, Volscorum laeta caterva
Scandebat colles; convexo en tramite silvae

Insidiis subito urgetur; nam callidus hostis,
Haud mora, saxa, sudes torquet; celeresque sagittae
Undique ceu grando fugiuntque sonantque per auras.
Praecipue pharetram vacuat dux agminis Almon
Cujus germanum lethali cuspide fratrem
Marcius, in volscam gentem cum tela moveret,
Straverat, atque Dolon primus jam cedere retro
Incipit; arma cruenta solo, generosaque passim
Corpora fusa virûm cernuntur. Turbida circum
Lumina fert Cajus, nec quo sese inferat ense
Repperit; huc illuc currit, seque objicit ardens
Certae saepe neci, sed frustra; perfidus hostis
Coeca sub arboreis pro scuto vulnera truncis
Ingeminat tectus; Volsco via nulla salutis.
Quo Veturiades quo vertet lumina ductor?
Haud lethi facies terret me, Juppiter, ulla;
Turpe mori refugit mens; fortia praelia da me
Hac tentare manu, multosque absumere primum
Ferro; tum si fert ita inexorabile fatum,
Occumbam laetus, quia non inglorius; inquit,
Et diverticlum nactus, Silvìque secutus
Et Moenae gladiis, malecauto intervenit hosti
Terribilis visu. Sese pars condere densae
In latebris silvae; pars ferre ad moenia gressus
Projectis telis. Trepidantes ocyor euro
Marcius insequitur, celeres cui suggerit hastas
Moenas. Par nocti atrae turbidus ille patentem
Irruit in portam fugienti cum agmine; flamma
Stant acres oculi, fulgent arma aerea longe
Horrendum; ut fulmen gladius micat; obvius ire
Non audet quisquam. Volscum tum versus ad agmen
Hortatur, victam clamans se immittat in urbem.
Marciadis dicto redit in praecordia virtus.
Vi tenet apprehensum peditem accenditque trahitque
Ad pugnam laeva Grajus, dextraque coruscans

Mucronem ante alios primus procurrit in hostem;
Ac ensis capulo sociorum terga prementes
Urgent ad bellum Marius Volususque Corasque;
Districtis gladiis in portas irruit asper
Volscus. Sed latitans Almon librabat ab aure
Hastam suspiciens caelum: Pater inclyte Romae,
Da belli o Numen, pestem procul arceat Urbe
Hoc telum; nobis facti sat gloria. Pauca
Sic orans jaculum vi torquet; sibilat aura
Horrendum. Moenas prospexit ab aethere ferrum,
Et sese opponens scuto protexit amicos
Artus; tum cuspis clypei solida aera resolvit,
Atque femur Moenae non alto vulnere laesit;
Infremuit viso dilecti sanguine ductor:
Tun' pro me pateris plagas? Ille ore sereno:
Integer es; propera; victorum praemia palmas
Carpe novas. Furiis incensus fulminat armis.
Cari dux ultor capitis; resupinus et Almon
Exanimisque ruit, qua frater cuspide, saevo
Ultori exemplum. Multam sine nomine sternit
Marciades pubem. Nec multum distat ab illo
Antiacus ductor denso circumdatus hoste,
Qui rursum in Volscum faciem vertebat et arma.
Nec mora nec requies; partes cunctatur in omnes
Grajus; procumbunt multi; sed fervidus ille
Perfurit, ut tauros inter getula leaena.
Parte alia muros miseranda caede replebat
Italus invictus, romanae infensus at urbi,
Jamque diu librans stridentem jecerat hastam
Eminus; et dextram transfixerat illa Gilippo
Egregio forma juveni, virtute decoro,
Et celerans tardum plaga properabat in hostem
Educto gladio. Moriturum territa natum
E speculis cernens mater (non illa pericli
Armorumque memor) saeva inter tela ruebat

Voce, Gilippe! vocans iterumque iterumque Gilippe!
Atque illum lacrimis pro scuto amplexa tegebat
Dans iterum nato vitam suavissimo. Ab imo
Corde trahit gemitum Cajus, qui forte fugaces
Ferro urgens hostes illuc advenerat; ortae
Sunt oculis lacrimae; pectus perstrinxit imago
Maternae pietatis; amans ruit ocyor euro;
Itale, ne ferias, ne caedas, Itale, clamat.
Ast ingens Volsci complet reverentia mentem,
Sublatumque alte suspendit in aere telum
Italus; et laetis servatum morte Gilippum
Marcius ostendens oculis ita voce secutus:
En tibi cara parens puerum; puer en tibi matrem:
Mî quoque cara parens, pueri dulcissimi et uxor
Sunt mihi. Sic fatur Cajus; generosaque laudans
Facta parens, tergit lacrymas atque oscula figit
Marciadis dextrae, natumque ad tecta reducit.
In plateae medio servabat milite multo
Congestas praedas auri argentique talenta
Anthaejus senio sollers cautusque futuri;
Huc illuc tollunt os inter caedis acervos
Victores, hastamque manu gladiumve coruscant;
Ceu rudibus diri pagis de nube cometae
Nunc subito exorti fulgent ferale, recondunt
Sanguineos multam radios nunc nubis in umbram.
Acer Tulliades sparsas per moenia agebat
Turbas, quae turpi accipiunt aut vulnera tergo,
Aut actae terrore ruunt a moenibus altis.
At vero Aeneadum Torquatus sanguine cretus,
Cujus ab imperiis pendebat Setia, cernens
Hostibus impletos muros, nullamque salutis
Spem superesse, parat praeclarae occurrere morti;
Hinc in confertos se quamvis saucius hostes
Immittit; veluti venantum septa coronâ
Non dat terga tigris, sed contra spicula pugnat.

Digitized by Google

Nec mora nec requies; non unam demetit ille
Volscorum vitam; succendunt conscia pectus
Virtus, laudis amor, spectantia et agmina circum.
Forte superveniens oculis prospexit acutis
Clari nota senis Cajus non immemor ora
Illius, insanae vulgi qui restitit irae,
Ne clarus rueret ferro dux criminis expers;
Ingemit et vocem intendit, ne spicula caros
Confodiant artus; et Volscus continet arma,
Ut nati gressus reprimit reverentia patris.
Ast infracta malis mens alto in culmine surgit,
Et Cajum inflammans majoris laudis amore
Exorat victus victorem more paterno,
Ut patriam servet. Premit altum corde dolorem
Magnanimo eloquio, Romaeque it flamma per ossa;
Sed nil haec contra dux acer, et ore sereno
Dat veniam victo, et dictis solatur amicis
In mentem revocans, quoties exceperit illum
Urbs domitis plaudens tuscis populisque latinis.
Praecipit hinc sociis murum ne a culmine sternant,
Utque ducis coeant plagae medicamine; dum cor
Curis torquetur crudelibus, ipse quod Urbis
Irruat in socios. Tum stant densa agmina circum
Vulneribusque aegrum longoque labore videntes
Orant ut requiem capiat. Languescere non est
Victoris, reddit sic protinus ille, dolensque
Convertit curas ad turbam funere mersam.
Cum doceat resonans imo sub pectore vera
Vox populos, hominum post mortem vivere mentes,
Et sceleri poenas, et reddier aequa labori
Praemia; dux mandat, caesis solvantur honores
Aeternumque vale clametur. Fletus in urbe
Ingens exoritur, dum corpora quisque suorum
Agnoscit. Gressum tum fert ad limina moerens
Cajus, ubi longa sustentat membra cruentus

Digitized by Google

Cuspide acerba fremens Moenas, quod plaga retardet,
Nec sinat ut domini vestigia cara sequatur.
Invictus sed enim dux ut nota aspicit ora,
Brachia circumdans collo complexibus haeret,
Aegro solamen fert, laetaque verba salutis;
Tum Japigi accelerans se vertit in arte medendi
Ante alios docto, vulnus qui forte fovebat
Fumanti lympha, succos herbasque salubres
Apponens, Phoeboque senem compellat amicum,
Allicit et dulci laude, et spe muneris urget,
Atque viam Moenae auxilio quae proxima poscit.
Acrius hinc instat pietas, ut tecta dolorum
Ocyus ipse petat, resident ubi vulnera passi;
It comes Anthaejus generosus, Grajus et acer,
Et pia solliciti contingunt limina. Longi
Hinc gemitus audiri, et tristia verba sonare
Foemineae turbae, in fletus quae lumina solvit
Corpora fusa videns, diversa tot ora malorum.
His pede, vel brachio, vel pectore vulnus apertum
Cernitur; ast illi cervices cuspide laesas,
Aut latus, aut faciem monstrant, aut pharmaca tristi
Singultu implorant; alii auras pectore anhelo
Vix carpunt, animasque efflant. Stetit acer in armis
Marciades (cor enim facies miseranda malorum
Perstrinxit), gemitumque alto de pectore rupit,
Quod Mars tot pestes mortalibus inferat aegris;
Tum sic solamen miseris fert ora serenans:
Macti animo fortes Volsci, sociique laborum
Pro libertate Ausoniae, non turpe tulistis
Conversis humeris, firmo sed pectore vulnus,
Ferte alacres duros casus; vos gloria luce
Induet, aeternumque ibit per saecula nomen.
Sic ait accensus, sociisque juvantibus omni
Languenti dextram tendens de fronte fluentes
Tergit sudores; patientem accommodat aurem

Questubus, argenti dono dat pondera multa,
Et toto emittit lucem pietatis ab ore,
Ut laetas reddat sedes moeroris. At aegri
Attollunt tremulas palmas, illumque salutant
Ut patrem, et lugent, nequeant quod surgere stratis,
Et duce sub tanto rursus concurrere campo.
Parte alia matres, quae supra corpora caesa
Natorum plorant, verbis solantur amicis
Frento ferentinas, signinus Silvius, Umbro,
Privernas Volusus, Marius, ductorque coranus,
Et certant lenire trucis tormenta doloris.
At varia patres curarum mole gravati
Tarpeji sidunt alta intra limina montis.
Aeterna vastus tollit se collis in Urbe,
Exhorret latus erumpentibus undique saxis,
Arduus intuitu, atque ingens, abscissus in imum,
Unde alii colles, et flavae Tibridis undae,
Et campi late spectari. Educta sub astra
Viribus heic nullis, nulla expugnabilis arte
Arx servabatur vastis a turribus ingens,
Unde Urbs aequa Diis mittebat fulmina terris.
Si quid fama sonat veri, fundamina primum
Cum jacerent, Oli caput imo colle retectum
Huic nomen dederat Capitoli. In vertice summo
Mirandum signis centum, sublime columnis
Pometia rapti devicta prodigus auri
Tarquinius fastu templum sacraverat alto
Caelicolum regi, supremo numine molem
Majestate loci, romano et nomine dignam.
Vestibulo effigies veterum ex ordine avorum
Adstabant, Urbis fundator, sacra sabinus
Rex tradens, Tullus bellandi conditor artis,
Tarquinius Latium Graecorum moribus ornans,
Marcius aedificans, libertatisque severus
Vindex, desertusque tuus, Lucretia, conjux,

Mutius igne, Cocles praeclarus ponte, triumphoque
Albanos contra tres fratres natus Horatî;
Praetera multi generosa ab origine patres,
Quorum ceu sidus fulget per saecula nomen.
Desuper arma tholis pendent affixa superbis,
Captivi currus, portarum ingentia claustra,
Loricae, clypei, tyrrhena, latina trophaea.
Heic, quoniam saevis agitatur romula fatis
Urbs, media patres templi testudine sidunt
Nautius et Furius qui res expendit, at ambos
Fortunae nimium perturbant ora severa;
Queis praetexta togam extremam bene purpura cingit,
Sceptra eboris manibus gestant insigne decoris,
Luna pedi argento fulget, nigrique cothurni;
Appius et fastu tumidus, laetumque Minucî
Os, et pontifices inter Virginius ingens,
Optima cui dedit eloquium natura suave;
Posthumius bello fortissimus, Urbis amator,
Lartius atque cavis oculis, cui plurima mentum
Canities velat, simul ora benigna Valerî,
Sempronius justus, Pinarius acer, et agmen,
Intenti ora tenent, et fantis ab ore silentes
Dependent omnes Furii; formidine capta
Mens ejus replet attentam sermonibus aulam,
Romulidum certas clades Urbisque ruinas
Laturum bellum, cui praesidet inclytus armis
Ductor, et hinc patriae nil tutius esse saluti,
Quam subito positis armis deposcere Volscos
Foedus amicitiae. Legum morisque vetusti
Cultor, multa manu forti qui proelia gessit,
Lartius haec audit, saevis et vocibus infit:
Roma petet pacem, deponet spicula Roma,
Dum pulsat portas armis, dum moenia scandit
Volscus? Turpe nefas; populus consurget et alter,
Inde alius rursumque alius, devictaque multo

Vulnere libertas extremum congemet; ingens
Tum cadet antiquae Romae constantia, virtus,
Si toties victo cum Volsco foedus initur.
Haee fnit antiquae Romae prudentia, numquam
Cedere quid strictis telis; haec nescia flecti
Mens aequas acies domuit, gentesque latinas;
Hinc multos constat frustra infremuisse feroces
In Romam populos ferme tria saecula. Curis
Nec vacuus, claususque domo torpebo, sed acer
Missilibus complebo manus; mihi namque juventa
Districtis coram gladiis renovatur; ad iras
Aeternas moriens cives hortabor in hostes;
Atque utinam solus peream, civesque triumphent
Incolumes! Dignam si pacem quaerimus Urbe,
Quisque paret bellum. Contra Sempronius usu
Edoctus longo, cujus sunt aure molesti
Imperii sonitus nec non violentia Lartî,
Haec animo reddit firmo: res tanta priusquam,
Cui vita et splendor seu mors innectitur Urbis,
Sit lex Romulidis, pigeat ne cernere Volsco
Sese juncturas gentes, quas fudimus armis,
Quasque facit laetas libertas. Namque priores
Vincula frangendi compellet dira cupido;
Postremas metus urgebit, ne compede vinctae
Amissum plorent munus. Jam tempus oriri
Optatis faustum cernunt; cum Marcius ingens
Excurrit Latii campos victricibus armis
Et gladium tollens Urbi minitatur. An unquam
Quis putet Ausoniae segnes non foedus inire
Cum Volsco populos tanto ductore regendos,
Cujus tantopere adnisus fortuna secundat?
Quod si concurrant plures in foedera gentes,
Non numero forsan cadet obruta Roma? Saluti
Tunc esset patriae non ira armisque cavendum,
Non profundendo romano sanguine, sed non

Indecorem pacem poscendo. Numina justa
An non a nobis repetent irata cruorem
Romani populi, temere si Curia fundat?
Haud nostra aeterno damnabit nomina probro
Posteritas, fatuo si bello Roma feratur
In praeceps? Ineant quae foedus cernere primum
Est gentes; demum num ponere praestet, an arma
Stringere, discutitur melius. Sed dicta refellit
Posthumius Lartì firmans effata: verendum
Non est, ne coeant plures in foedera gentes.
Praeclari et multi dudum peperere triumphi,
Ne Romam spectans reverenter sumere tela
Audeat urbs Latii circum populique propinqui;
Sed nec longinqui, fortem quia bella gerentem
Formidant Urbem, et casus pugnaeque remotae
Illorum pectus non tangunt. Vidimus ipsi
Regibus ejectis tuscam vim surgere Romae
Infestam; reliquos populos sibi quemque timentem
Non extra muros densas misisse cohortes,
Non junxisse simul vires. Hinc fudimus arma
Tusca, dehinc Latium, quamvis infirmior esset
Hic oriens populus. Primaevo flore juventae
Ac tot palmarum radiis nunc Roma refulgens
A se jungendo Volscis non terreat urbes?
Errore aut fatis ita captae (credite) gentes
Non opibus Volsco succurrent, atque relinquent.
Casibus edocti nunc vos, audacia volsca
Quo ruat, aspicitis, nam contra quomodo stabit
Hostis virtuti Romae, gladiisque tremendis,
Artibus atque ducum? Forsan semel insuper armis
Pugnavit, forsan cessit semel hostibus, omnis
Aut saltem caesae permultae robora pubis
Urbs plorat? Sed nil horum. Cur indecor ergo
Viribus infractis cedet? Cur territa verbis
Ante tubam gladium ponet? Tum vocibus aula

Magnanimis resonat ferro suadere rebelli
Volsco, ne toties juratum denuo rumpat
Foedus; et hinc vario patres sermone requirunt,
An praestet portis armatam educere pubem,
Pellere seu belli nubem, dum detonet, omnem
Protectos muris. Ast alta mente Senatus,
Nobile concilium regum quem jure vocabant,
Claudier haud acres animos sub pectore cernit
Consulis; atque feros vulgo inspirasse tribunos
Aversam mentem patribus belloque; revolvit
Hinc animo placido non fulminis esse ruendum
More, dies dandos, Marcî ut deferveat ira,
Qui victor palmis opibusque repleverat olim
Urbem; nec mites sociali foedere bellum
Finire exciderant memori de pectore mores;
Nam sapiens laetum didicit praeponere olivum
Sanguineae palmae, tum tandem stringere ferrum,
Saevi cum fati vis insuperabilis urget;
Hinc multo statuunt tutari milite patres
Urbem, non extra muros urgere phalanges;
Si vero in patriam bellorum fluctibus hostis
Irrumpat, gentem reputant concurrere in arma,
Antiquos tegat ut patres sanctosque penates;
Celsa mente viri ingentes et fortibus ausis
Excedunt portis generoso pectore; quorum
Explorare labor Volscos, et jungere foedus
Gentis honore tamen servato. Verba salutis
Discedens dabat interea dux inclytus aegro
Moenae; sed mordax male conditur ore sereno
Cura; velut frater vultu male gaudia fingit,
Cum dulcem linquit fratrem. Tum fortiter ille
Haerens proposito turmas educit apertis
Campis setina praeda gazisque refertas,
Quae quassant hastas, atque hostes voce lacessunt
Magnanimos hostes sub tectis bella parantes;

Ingrediturque vias quibus est a gente latina
Nomen. Sed tumidis uti torreus irruit undis
Nunc dextram superans ripam, nunc arva sinistra;
Sic acies Volscûm, ceu fert ducis impetus, arma
Et cursum vertunt huc illuc. Strenua bello
Agmina caesa jacent, quae clausit Sulmo vetustis
Muris; atque tibi dulci pietate calenti
Marcius, o Silvì, dederat ne compede vincta
Sulmonis gemeret pubes. Super arva corana
Tum properat Volscus. Foecundi vertice collis
Cernere erat structas veteri urbe molaribus arces,
Quas solidas nondum saeclorum diruit ira;
Spectat ad occasum urbs celsi navalia Caeni,
Arva Velitrarum, Laurenti moenia, turres
Antì, silvarum tractus, ingentia rura,
Inter quae radiat Nymphaei fluminis unda,
Velivolique errans Tyrrheni tendit ad oras;
Gens almam sequitur pacem; sed dextera bello
Frigida non languet; cernens haec frangere Volscum
Haud fas esse sibi, portis excepit apertis,
Eripuitque sagax saevis a cladibus urbem.
Contra clara malo committens omine pugnam
Excetra flens cernit foedatos sanguine muros;
Victa lubens sequitur victoris signa juventus.
Et jam nox magna terras involverat umbra,
Cum tristes Urbis portae panduntur, et altum
Legati calcant limen; non molle cor hostis,
Non lenem precibus ductorem, patribus ajunt.
Audiit haec alto secura a culmine mentis
Curia; sed sapiens tenebris vult tecta jacere,
Ne media subitus conflagret in Urbe tumultus,
Et votis iterum ducis iras vincere certat.
Ast adventantem Volscum Veturia mater
Novit; enim prisco domui conjunctus amore
Appius innuerat; sed mentem animumque virilem

Illa gerens nurui tacuit non suavia facta ;
Sola novo scandit Tarpeji culmina sole
Dum fumant arae, tellusque cruore recenti
Spargitur, et variis florescunt limina sertis ;
Sacrosque ante focos media inter numina divum
Orat pauca Jovem manibus Romana supinis :
Summe parens hominum, Aeneadum fidissime custos,
Quid precer oppositis curis lacerata ? Triumphum
Urbis ? At invictus natus cadet ; anne salutem
Victoris Marcî ? Tum patria corruet ; anne
Volscûm Romulidumque neces ? A patre deorum,
Qui servat gentes, me cladem poscere gentis ?
Haec tantum supplex. Primaevo flore juventae
His natum vovi templis, ut cresceret Urbi
Has cumulans aras donis. Tu sidera nutu
Atque animos versas hominum ; de turbine belli
Prome jubar pacis. Te saecula cuncta sonabunt ;
Si patriam natumque haud tangat dedecus. Agmen
Pontificum, templi custodes, turbaque vulgi
Vocibus attoniti fixerunt lumina in illa
Mirati fortem civem fortemque parentem.



LIBER TERTIUS

ARGUMENTUM

Ufens ad Fossas Cloelias castra locat, quae spectaturi Romani ascendunt moenia et turres. Cloelia nutrix natorum Coriolani nunciat proximum adventum heri; hinc pueri plaudunt; turbatur Veturia, Volumnia deflet. Egreditur portis decem patrum legatio, unde multum spei Roma concipit; sed Tribuni dant operam ut excitent turbas. Cossus eques iratus ob decretum Senatus non educendi acies e muris multorum animos disponit ad seditionem; Legati redeuntes Romam nunciant inducias in triginta dies, quae laeta patres populo statim referunt, et animos exhilarant solemnibus ludis. Valeria, et Sabina domum Veturiae properant, et verba faciunt de induciarum munere. Marius interea vincit Bovillas; Silvius frangit bipenni portam Politorii; Ariciam territam a Cora ingreditur Cajus, qui postea infert acies campis Laurenti, ubi turpes rejicit conditiones a Teucro propositas, quibus urbe potiretur. Reversus autem in tentoria ductorum rogatu damnationis suae adjuncta, et seriem exponit.

Festivos inter cantus operumque fragorem
Castra locans Urbem contra jam strenua Volscûm
Dextera saxoso muniverat aggere vallum;
Acris et Ufentis pertentant gaudia pectus,
Ardua vallorum quod cernat tuta furore
Hostis. Jam procul apparent tentoria velis
Ut celsae turres varios induta colores.
Undique sollicitis implentur lata viarum
Et plateae turbis, resonat caecumque per Urbem
Murmur; at Aeneadum fortuna et conscia virtus
Frangi animis vetat; e tanto vix unus et alter
Vociferat populo: qui nos stupor occupat? Hostis

Ingruit; an vigilant patres? Exscindere gentes
Romuleas alter melior Porsenna minatur,
Qui dux, quae sociae vires, quae bellica pubes,
Nam quod consilium nobis? An cedere praestat,
Aut saevi Martis ruere in discrimina? Vanos
Ast agitat juvenes arrecta cupido videndi
Hostiles acies; portae pars limina transit
Hac; illac alii tecti fastigia scandunt;
Hac alii aerias ascendunt pectore anhelo
Turres, unde oculis Volscùm tentoria lustrent.
Tum Marcî conjux atro jungebat amictus
Dilectae sobolis filo, lenibat et acres
Clausa domi curas extollens lumina saepe
Ad pueros pavidum agnum per conclave sequentes,
Quem pinguem de more tulit longaevus ovili
Ad dulces Faustus dominas. Jamque aeger ab annis
Sustentans baculo gressus linquebat amata
Hospitia upilio, secum crudelia volvens
Fata domus; animo cum victus limine portae
Restitit, et moestas dominas respexit, et ortae
Sunt oculis lacrimae gemuitque. Sed anxia nutrix
Cloelia, quam parvis Curibus sub luminis auras
Emisit mater, circum per flexa viarum
Urbis it interea, tortoque e vimine textam
Fert manibus cistam; nam sobria mensa paranda est;
Ecce repente sonant haud tristes illius aure
De domino monitus. Mensae non amplius illa
Tum memor accelerans gressus ad tecta reducit,
Et trepidans inter lacrimas et gaudia dulcis
Nunciat adventum domini; exsultare videres
Innocuos pueros, procurrere, tendere palmas,
Ad patrem, lacrimans quem mater saepe vocabat,
Poscere discessum. Contra rugosa parentis
Marciadis facies, nimbis contectus ut aether,
Fit tristis; pueris ingrata silentia mandat

Objurgans, figitque solo cava lumina secum
Multa movens animo. Sed moesta Volumnia vultum
Demisit, gemitumque alto de pectore traxit;
Forfex, fila, glomi calathique dedere cadendo
Excussi manibus strepitus; explere querelis
Infelix curam cuperet, quae infixa profundo
Corde hiat; at prohibet tantae reverentia matri
Debita; tum dulces natos compellat, et ipsis
Hinc atque hinc collo circumdat brachia et haeret;
Ora rigant tacitae lacrimae ceu jugis aquae fons.
Haud capit interea requiem sapientia patrum,
Atque studet molles aditus tentare, priusquam
Currat ad arma fremens, et inevitabile tractet
Bellum. Legati claro jam sanguine lecti
Excedunt portis ostroque togaque decori,
Eloquio et patriae succensi pectus amore,
Et gressus vertunt ad castra. Sed ante Capenam
Circumfusa manus extollit turba Quiritum:
Vestris in labiis omnis fiducia Romae,
Res et fortunae; vobis et sacra Deorum,
Et magnae florens commissa est gloria gentis;
Emollite ducis Volscorum pectora. Fatur;
At celso e curru blandae sonuere Minucì
Voces: o Marti, et divo gens sacra Quirino,
O queis nec metas rerum nec tempora ponunt
Numina, qui torquet vos error? Bella moveri,
Hos ruat ut muros, a Volsco creditis? Urbem
Invictam toties victus non milite multo
Aggreditur, saevit dum frigidus annus? Et hosti,
Cujus confodit gladius tot millia, Cajo
Committit facinus? Non haec prudentia genti;
Illa sub egregio duce praelia dira minatur,
Ut firmum feriat cum Roma foedus; et ipsi
Pignus amicitiae ferimus; nec respuet. Aure
Ante aras sonuit nuper vox laeta salutis:

Certa salus Urbis, Phoebo repletus haruspex
Exclamat, volucrum dum ritu consulit exta.
Fortunae vestrae, cives, mentique Senatus
Romuleisque diis melius confidite. Vocem
Tum premit; at properans verbo, sonuitque flagello
Auriga, atque strepens vasto volat aequore currus;
Laetitiae tollunt voces palmasque catervae,
Et campi circum resonant arcusque Capenae;
His etenim pacis donum bis quinque virorum
Splendor, nonnullis conjunctio spondet amoris
Cum forti Cajo; multos quoque copia fandi,
Qua pollent patres, in spes adducit; at omnes
Erigit auxilium divum; nam jugiter altos
In superos multa micuit pietate, regique
Vi summa immensam credebat Roma catenam
Rerum; tum veluti belli si terror abesset
A Latio, tollunt animos ad sidera; quisque
Ingreditur laetum tectum, laetamque salutat
Uxorem, atque vocat dulces ad gaudia natos.
Obscuris laribus gens ad praeclara creata
Angustis gaudet mensis accumbere, tostas
Fruges, et late fundentes brachia betas
Aut olus, ut regum mensas, aut vilia poma
Dente premit, modicum bacchi tum gutture sorbet,
Recreat et vires; ad membra labore terenda
Impiger hinc remeat curvo seu vomere terram
Vellens, sive ciens pugnae simulacra sub armis.
Haec inter graviter sermone silentia patres
Romulidum rumpunt hostiles ante cohortes,
Et pacis donum faustis praeponere bellis
Insinuant; dociles at non dat Marcius aures
Verbis. Interea torquet pax illa tribuni
Corda; videbat enim vulgi restinguier iram
Praeclaras contra sedes; tum pectoris imo,
Quo cieant astu sopita incendia, volvunt.

Ante Fori fauces diversa ex parte ruentes
Bellutus, Decius, turbato lumine Brutus,
Rugaque conveniunt; Brutusque ita farier orsus:
Execranda quies! Factis contraria nostris
Facta patrum! Vulgus quae habeat fiducia rerum,
Quae nostro immineant capiti discrimina, Romae
Si diuturna sedet concordia, cernitis ipsi;
Vis inimica patrum populo concrescet amico;
Imperium nostrum cadet; illius ira, superbam
Cujus cervicem depressimus, irruet armis
Volscis in nostrum caput. Haud est deside tutum
Nunc languere mora. Arte nova conflare tumultus
Tempus. Cui Decius: Cossi violentia vobis
Perspecta in patres; si taedam turbidus ille
Praeseferat, bello totam spectabitis Urbem
Ardentem. Juveni confestim occurrere, laude,
Promissis mulcere aures, superaddere flammas
Flammis est opus. His plaudunt, torvasque serenant
Frontes, et celerant simul omnes. Multa per Urbem
It volvens lento Cossus pede; Cossus equester
Sanguis, quem nimium quaerendi nominis ardor
Urgebat; locuples, sed prodigus, impiger, audax,
A primis annis turbas exercitus inter
Civiles, cujus tenuis sapientia menti,
Ori vis fandi, quae vulgi corda cieret.
Infremit hic leges in patrum bella vetantes
Extra murorum clypeum; nam pectore volvit,
Aequore si campi committat praelia, multa
Cingere luce caput, primas se scandere Romae
Sedes, et non pauca domum vectare talenta
Argenti; mens hinc turbarum fervet amore.
Huic sub Aventino flagrantes ora tribuni
Ad monumenta Numae occurrunt; sine fine furorem
Injiciunt; urgent, disponat ad arma latenter
Patribus infensam pubem. Jam protinus omnes
Digitized by Google

Huc illuc sese immittunt, placidamque peragrant
Urbem, ceu venti pacata per aequora. Cossus
Primum divitiis vacuas intrare clientum
Sollicitus sedes, alienoque aere gravatis
Et vitio servis proscriptas spondet opimas
Aedes, atque novas tabulas. Invadit equestres
Tum famae cupidos animos, promittit et ingens
Pontificum munus, fasces, sedesque curules;
Iras accendens cunctorum dedecus auget,
Si fremat incassum generosa diutius Urbe
Pubes clausa; parent animos hortatur, ut extra
Muros bella gerant, aptum labentibus horis
Vix tempus veniet; socios clam quisquis ad ausum
Interea succendat. Equos mercarier, arma,
Venatuque canes suetos et naribus acres,
Parcere nec gazae, ferre et sua dona cuique,
Ex aetate velut studium sub pectore flagrat.
Nunc sociis sacri collectis vertice montis
Ceu vates fatis recludens ora futuris
Igneus effatur; ducit nunc agmen in oras
Queis Anio Tibri vitreus sua flumina jungit,
Et fractos hostes et latum nomen ad astra
Nunciat Aeneadum, cum portis Roma cohortes
Eduxit. Dubiis, tepidis, languentibus addit
Pectoribus flammam, spem, vim, passusque repulsam
Non lassus victusque sedet; festinat et instat,
Succenset, gaudet, laudat, dolet, increpat, orat;
Inque dies laetus sociorum respicit agmen
Crescens. Jam violare patrum decreta voluntas
Longino, Salio, Figulo, queis ire per altos
Vallis aricinae lucos, agitare frementes
Et delectat equos; audax pars infima plebis
Se comitem jungens, maledictis increpat aulam.
At Numitor refugit constans, et crimen abhorret;
Et plures equites et vulgi maxima turba

Illecebris obstant, nec recta a mente moventur
Ullis muneribus. Sic digerit omnia Cossus,
Ut tandem rapiens plures in bella maniplos
Erumpat portis, Volscosque in praelia poscat.
Ast hi setinis sternentes corpora terra
In muris laeto proflabant pectore somnum.
Ingratus magnis ducibus non mollis habebat
Cristatum somnus Cajum; nam mente revolvit,
Quam primum gentem, quam postea vincere praestet;
Quomodo sint celsis postremum molibus arces
Romuleae terra aequandae statuebat, et omnem
Venturi seriem belli sub pectore versat.
Nec non ad Moenam crudeli vulnere laesum
Mens volat, et caros respersos sanguine cernit
Artus, et longi patitur tormenta doloris,
Qui furit in Moenam. Pallantis filia, ductor,
Te vocat hinc animo, ingentes ut pectore motus
Concepti populos sternant, vertantque latinae
Fortunam gentis, pateatque an reddita dulci
Corporis integritas sit Moenae. Mole gravatus
Tot rerum tandem, terra quod forte jacebat,
Languidus insedit saxo; vix ulla cohaerent
Jam sibi, quae menti subeunt, phantasmata; languet
Vis libertatis, discrimen bruta virosque
Inter; magnanimus tum supra pectora ductor
Consertis somno dat lumina victa lacertis.
Jamque nitens primo fulgebat lucifer ortu
Multiplices pecudum revocans hominumque labores,
Et campi et colles setini albescere circum,
Et nebulae vento motae fluitare per agros,
Jam rauco clangore vigil tuba frangere mutas
Auras, cui lati campi murique resultant;
Et primi ad caelum hinnitus tolluntur equorum,
Qui croceam laeto auroram clamore salutant;
Miles protendens artus oculosque recludens

Sublustri circum quaerit nova lumina caelo,
Circumfertque manus inquirens spicula et arcus.
Nec mora; signa canunt; procedunt ordine volscae
Confisae virtute ducis, palmisque relatis
In populos alios laturae bella catervae.
Haec inter reduces moerenti Curia gressu
Excepit patres referentes foeda reposci
A Volscûm fastu; soles concedier Urbi
Triginta, castris ut Marcî certa remittat
Consilii. Audiri murmur, flagrare tumultus
Incipit in vulgi gremio; quae cuncta notantes
Haud fracti patres aerumnae pondere priscis
Exemplis haerent, et primum vincere lites
Sancti vi monitus, armorum turbine demum,
Et lenire rudis sensim fera pectora vulgi;
Hinc augere spei causas, tenuare timoris;
Quod Veturiades proavi vestigia calcans,
Cum Latium contra fortis rex bella moveret,
Lunae curriculo non urgeat agmen in Urbem;
Interea pompam ludorum gaudia gentis
Consilio patrum, arma simul bellumque parari.
Tibridis ad raucas ripas, quas ligneus Anci
Pons jungit, surgunt atra fuligine tecti
Muri, quos inter fornacibus ignis anhelat,
Et caelum vasto circumtonat omne fragore.
Incudes circum procero corpore centum
Attollunt multa vi duri brachia fabri,
Et scintillantes informant ictibus aeris
Et ferri massas, antiqui colle tremente
Jani. Ferratos ingenti mole lacertos
Heic balistarum cudunt; stridentia tingunt
Illinc aera lacu; poliunt hinc aegida; telum
Illinc omnigenum conflant. Est cernere matres
Praebentes manibus natorum spicula et hastas
Magnanimo hortatu: prosternere discite Romae

Hostes his, pueri, telis. Clamore parentum
Ac ferri strepitu gladiisque micantibus olli
Subrident, patriae columen splendorque futuri.
Vomere certatim curvoque ligone profundas
Effodiunt fossas, et firmant aggere denso
Moenia. Collinam clavis et robore secto
Pars reparat portam; Carmentis nomine nimphae
Dictam vecte alii firmant et cardine aheno;
Trigeminae pilis alii supponere saxa;
Arcus Exquiliae pars rursum ducere, rimis
Atque fatiscentes iterum pars tollere muros.
Et jam sol medium cursu trajecerat axem
Aethereo, viresque cibus potusque refecit;
Plenis turba viis fluit undique tecta relinquens,
Ut pubem cursu certantem spectet equestri,
Quem docuit morem Julus, cum conderet Albam;
Hinc Roma accipiens patrium servavit honorem.
Inter Aventinum, mediaque in valle Palatî
Haud Urbe indignum Circum construxerat ingens
Regifico Priscus luxu; quem spina secabat
Pyramide et signis medium decorata superbis:
Compositae multis sunt sedes millibus intus,
Atque gradus varii, magnos ubi Roma videbat
Ludos aut celeres circum volitare quadrigas,
Ire vel alipedes cursu rapidoque recursu.
Plurima clamosa platea jam turba sedebat,
Commixtique patres, equites, vulgusque superbum:
Ornato similem templo rutilare videres
Undique foemineam formam, cupidaeque juventae
Lumina pellicere, et laeto superaddere Circo
Splendorem. Apparet gravitas in fronte senili,
Et jocus et risus puerorum fulget in ore.
Jam conscendit equos exardens laudis amore
Lecta manus; metus et spes exsultantia jactat
Pectora. Quadrupedes spumantia frena frementes

Mandunt, aure micant, indignatique morarum
Tellurem pedibus fodiunt. Intenta juventus
Sublimes equites admirans scinditur inter
Oppositas partes; digito hic monstratur, et ille
Victor. Cum cornu frangens clangoribus auras
Dat signum cursus; demissa catena repente
Aequora pandit equis levibus; jam finibus omnes
Haud mora prosiliunt; juvenum ferit aethera clamor.
Aequatis puncto sed temporis ire videntur
Frontibus alipedes; nam prisca e gente sabina
Spartacus antevolat, sequitur Murranus ab Alba
Robore fretus equi; vasto sed tardior ibat
Corpore post illos aequo discrimine Sucro
Montibus e rutulis, et tuscis Lucagus oris.
Acrius hi lentos manibus, pede, voce, flagello
Quadrupedes stimulant; alternis ira, voluptas,
Spes, formido, stupor turbae spectantis in ore
Pingitur; oppositis studiis et murmure vocum,
Atque pedum pulsu curvi tremit area Circi,
Atque alte muri Romae collesque resultant,
Ut resonant vento convulsa per aequora fluctus.
Nunc exsultat equo spumanti Spartacus omnes
Praecurrens; victum adnisus nunc praeterit ardens
Murranus; juncta nunc ambo fronte feruntur
Iratis animis. Post hos se tarda movebat
Diverso spatio multis irrisa caterva
Quae superest equitum; sic sparsi pulvere, anhelique
Instaurant alios cursus, aliosque recursus:
Septeno tandem expleto prior insilit orbe
Murranus victor metas, plausuque resultat
Circus, Aventini culmen, collisque Palatî,
Desiliensque ab equo saltu se immittit in altam
Victor ovans Circi spinam spectandus ab omni
Coetu; tum praeco Murrani nunciat ingens
Nomen, et extollit Murrani nomen ad astra

Digitized by Google

Vis populi, meritoque argenti dona feruntur.
Sic mens docta patrum ludi dulcedine sensim
Nigrantem clara depellit ab Urbe procellam.
Dumque inter strepitus festivos vulgus inane
Oblitum famae melioris plaudit ovatque,
Pars equitum patrumque volant ad moenia celsa,
Hostis ut inspiciant motus, an spicula fessus
Ponat, et in tuto mens sit requiescere vallo,
An struat insidias; mittunt, qui cuncta notantes
Accedant propius castris, et visa reportent.
Sed non obscuro generata Valeria patre
Publicolae germana soror, qui dispulit Urbe
Tarquinios, mentis vi clara, et lecta Sabina
Appî uxor, Marcì vertunt ad limina gressus,
Tristitiae dulci domui bona verba loquentes,
Verba spei, magnas lunae componere cursu
Lites, atque iterum complecti colla lacertis
Marciadi; toto diffundunt lumen ab ore
Laetitiae, patriae tunc omnia fausta canentes
Complexu pueros retinent, atque oscula figunt;
Sic autem ex oculis formosa Volumnia tergit
Fletus, exultant pueri, Veturia secum:
Dum mensis currunt soles, alterna revisens
In solido forsan Romam fortuna locabit.
At Veturiades moderandis doctus in armis,
Ne caperent animos hostes, si poneret hastam
Volscus iners castris, rapiebat in oppida Romae
Foedere conjuncta insuperabile strenuus agmen.
Jamque cohors, muris quam conclusere Bovillae,
Spicula projecit, vix primum vidit in arces
Scandentem Marium stricto mucrone secutum
Agmine; jam nigris lucis circumdata, postquam
Hostiles inter muros tua lancea mortem
Intulit atque metum, ductor praeclare corane,
Marciadi trepidas reserarat Aricia valvas,

Ara ubi Latonae fragranti thure calebat;
Jam durum limen Politori ruperat audax
Silvius arrepta Cajo exhortante bipenni,
Et ruerat Volscus per vulsas cardine portas.
Tum voci parens fortunae praepes amicae
Marcius impulerat Laurenti ad moenia bellum,
Teucer ubi summo belli rerumque magistro
Aemulus, ac odiis magis inflammatus acerbis
Quod minime justis. Volscûm vix agmina crevit,
Hic sibi propitium solem fulsisse putabat,
Consiliumque fero versabat pectore fortem
Sternere clam ferro Carbonem, flectere clavum
Urbis subsidio Volscûm, torquere superbo
Servitio populos. Quo non mortalia corda
Proripis ambitio? Tusci prope litora ponti
Turribus aeriis sedet urbs domitoris equorum,
Et clari auguriis, ut fama est, regia Pici;
Laurenti nomen, viridi quod cingitur umbra
Phoebeae lauri; turres et moenia bello
Firma, sed armisoni populi mage fortia corda;
Gens ultro hospitia exercet generosa, viaque
Advocat ad tectum fessos, et corpora curat.
Noctifer occiduo surgebat lumine vesper;
Cum fidens animi Volscûm tentoria Teucer
Ingressus lecta juvenum stipante caterva
Sic Veturiadi generoso voce superba;
Urbes jam Latii frustra contendere forti
Cum duce Volscorum; hinc patriae se velle salutem,
Qua possit, ferre, et Volsco sub nocte silenti
Pansurum portas; hoc lectam poscere pubem
Laurenti, hoc tantum patriae superesse; talenta
Argenti, et multum telorum praemia Volsco.
Exequar haec, subdit Teucer, caesusque repente
Nocturno Volscûm non exorabilis hostis
Carbo cadet telo, tua si me dextera rursus

Urbis ad imperium tollat. Quae foeda reposcis?
Illum torva tuens cristatus Marcius infit;
Tantane te incendit dominandi caeca libido,
Ut reputes palmas a Volscis fraude parandas
Me duce? Meve auri argentique movere talenta?
I, gazas probrumque refer. Fremuere cohortes
Concordi assensu; coenae tum dulcia gustant.
Sub Veturiadis tecto jam nocte silente
Laeta caterva ducum baccho mensisque remotis
Circumsidebat stratis. Tum fortis in armis
Grajus et impatiens pubes, quae pectore lentos
Processus odit belli Romaeque morantes
Aggressus, instat multis, ut nobilis exul
Ordine declaret de magno pauca labore,
Sicque furens saevo refricato vulnere in Urbem
Irruat indignans sociorum funera. Cautus
Ardor ne lectae pubis deferveat erga
Ductorem, celso e solio sic ille: dolorem
Infandum, socii, renovare rogatis, ut atrox
Ultio Marciadem pressit. Quis comprimet iras
Haec memorans? Nostros at si perpendere casus
Tantus amor, paucis doceam, dum longa silentes
Nox condit terras. In sacro ut lucifer ortus
Monte magistratus fuerat tutela malorum,
Plebis amor; modicum sed fundens lumen amicum
Romulidum muris est aversatus ut orcum
Imperium pacis, Titanque horrendus in Urbis
Cervices clavam tollebat. Juppiter aureo
Subnixus solio medio splendore deorum
Ejus suspendit noxas benefactaque librae;
Et lancem noxae pellebant pondere deorsum;
Hinc super Aeneadum mentes pater optimus almam
Consilii lucem fundebat; mascula corda
Inflammabantur studiis, ut protinus atrum
In praeceps rueret monstrum, cum splendet ab ortu

Laeta dies. Multam Romae clamore petitam
A siculis oris ventosa per aequora pinus
Attulerant cererem. Capto sapientia patrum
Tempore quam facile male praebita munere frugum
Dona redemisset! Torvo clamabat in aula
Ore tribunorum nil motus Marcius, igne
Succensus patrio. Veri fulgore togati
Assensu patres, pubes, et ditior agris
Infremuit populus. Scissa Discordia palla
Et Furiae geminos tollentes crinibus angues
Tunc stygiis antris evadunt, luceque nigra
Fumantes vibrant, figuntque in corde tribuni
Taedas; erumpunt oculis ardentibus olli,
Atque, coite simul, clamant, protendite dextram
Conjugibus, pueris, vobis; en Marcius atrox,
Occumbat, fatur, patribus parere recusans
Turba fame. Circum jaciuntur verba minarum
Atque irae fremitus; paulatim attollitur aequor
Et spumat; tumidi augusta intra limina patrum
Sunt irrupturi fluctus; et naufragus undas
Marmoris immensas pellens haud viribus aequis,
Aestu Marciades rapitur. Pars optima plebis
Patres atque equites generosa pectus ab ira
Accensi demum insurgunt, et brachia tollunt.
Aura sonat crepitu plagarum; livida turgent
Ora; fluit sanguis, civilis et acrius ardet
Pugna; sed extinguit caecos nox atra tumultus.
Tum dux setinus, quae tellus immemor, ora
Solvit, digne quidem fatis melioribus heros
Te genuit, cujus pietas pensatur acerba
Ira? Marciades premit altum corde dolorem,
Oreque prosequitur placido: sol fulget ab ortu;
Sedibus ecce suis Urbs ingens tota movetur,
Ceu quaterent hostes muros, collesque resultant
Horrendo strepitu; tetris in fontibus irae

Ignescunt. Veluti nigra inter nubila lunae
Splendor, sic patrum resplendet gratia, parvo
Aere domum cererem mendica a plebe ferendam
Promittens, strepitusque silent; ast ira tribuni
Injicit in Cajum civilis crimina motus;
Turpes ille dolos retegit, repletque pudore
Infensas frontes; et patres lectaque pubes
Et bona pars vulgi jucundis ora serenant
Sensibus; at resonat civilis buccina belli
Bellutus clamans: quin tollite, tollite pestem,
Ferte citi Cajum, tarpeja e caute tyrannum
Praecipitate. Necem spirans incurrit in illum
Torva cohors; plaudens ascendit turba severum
Collem, lethales ut lapsus spectet, et artus
Discissos saxis, atque ossa immixta cerebro.
At vim nobilibus manibus lectaeque catervae
Incutiens superum pietas, quae saepe resistit
Immani sceleri, accurrit repulitque furores.
Ad crimen turbas tunc cogere docta Megaera,
Improba Tisiphone et nutrix Discordia belli
Invisae cunctis, circum tacitaeque volantes
Aure sonant scelerum, ne supra culmina cautis
Tarpejae Cajum rapiant, sed ut ante tribunal
Inque Fori lucem misso in suffragia vulgo.
Nec mora; tartarei resonant super ora tribuni
Sensus, et caeco vulgi mactanda furore
Victima servatur venturi ad lumina solis:
Immanes pereant, exclamat fervidus ira
Volscus Tulliades; nigra jam nube sedentem
Caelorum regem cerno, volscasque cohortes
Hortantem, ut Romam celerent evertere. Cajus
Nil contra; at voces intentis omnibus unus
Has iterum rumpit: vulgi mens acta furore,
Quam saevi rapiunt venti in contraria, nunquam
Consistit. Ceu sons trahitur dux ante tribunal

Turbarum; primum quaesiti crimina regni
Affigunt; nota nulla docet; regumque maniplos
Ille armis fudit; pro libertate tonantem
Jugiter aula ducem, campusque exaudit. Hydrae
Ceu capite abscisso surgebat protinus anguis,
Obtrudunt aliud sic criminis: arbiter ille
Antiacae rapuit jejunis tritica praedae
Romulidis, ditans aciem solosque suarum
Culparum socios; sed raptum Marcius addit
Non sibi vellus ovis, non culmum; sanguine fruges
Emptas, consensu pactas populique patrumque
Victorum natis impastis esse relictas.
Tunc ergo patres hortantur, crimine purus
Ut conclametur Cajus; sed murmure vulgus
Flagitat insueto suffragia more tributim
Non per centurias, ut perdat tutius. Urgent
Patres ut ductor solvatur crimine; rursus
Succlamat vulgus suffragia. Curia quaerit,
Innocuamne parent vitam sic plectere? At acres
Afferri turbae rursus suffragia clamant;
Et magis increscunt horrendum murmura. Navem
Ut servet, rabidis parendum praecipit euris
Mitis pars aulae, primusque Valerius ingens
Consilio hanc veniam suadet, quae temperet iras,
Aut sine consilio, aut Marcì sic fata ferebant.
At quorum melior menti sententia, valde
Obstandum clamant populo exitiosa roganti;
Appius et primus: Miseri quae insania patres?
Nunquid parva petunt? Ruet Urbs, fatalia dona
Si vulgus referat; fatur, pluresque fremebant
Concordi assensu. Spes contra infida refulget
Multis, nil damni generosa a plebe verendum;
Eumenides dirae certatim e pectore patrum
Terroris vellunt causas, augentque furorem
In vulgi gremio. Vix tandem saeva potestas

Plebejas armat dextras, ignobile vulgus
In caput invisum contorquet fulmina; et ille
Qui patriam toties servarat ab hoste, perenni
Plectitur exilio. Multi quos terruit audax
Seditio, Romae pars servans candida rectum,
Occultis iris arserunt corde sub imo.
Tunc canos manibus divellunt vertice crines
Patres, et sero taedet quod perfida vota
Audierint. Spectans genitrix Veturia celsis
A tectis animum diro transfixa dolore,
Tollit saepe pios oculos ad sidera; conjux
Dat gemitus niveosque sinus irrorat obortis
Fletibus, et pueri miserantes brachia matri
Tendunt, et cum flente gemunt. Sed nulla canenda
Tanto succendit fastu victoria turbam,
Quae sese jactans e septis prosilit amens
Laetitiae plausu; tam dira superbia culpae
Pectora corrupit! Volscorum concitus ira
Excutiens coetus caput infremit; ora momordit
Grajus, sed tibi, vociferans, non Ilia mater,
Non Venus, aut Mavors, generis non Romulus auctor
Gens, quae servata invictam depellis ab Urbe
Marciadis dextram; Apenninus cautibus horrens
Te genuit, saevaeque admorunt ubera tigres.
O si Volscorum gens bella gerenda dedisset
Nobis luce nova, crudeles agmina ferro
In muros ruerent! Sapiens dux nulla reponit;
Majestate gravis solio sed surgit ab alto,
Annuit atque oculis; concussae vertice cristae
Sanguineae. Nutu nemo sedet; hiscere nemo
Est audax; omnes tacitis at gressibus ire
Ad limen cernas. Tanto servabat honore
Volscus consilio Cajum belloque potentem!



Digitized by Google

LIBER QUARTUS

ARGUMENTUM

Marcius victo Laurento acies removet ab oppugnanda statim Roma; hinc mittit Antium opimas praedas, aliique duces suis propinquis munera offerunt. Palmus cum donis Antium petit, et hortatur Tullum, ut quamprimum classis ad Ostiam feratur. Cajus Ardeam expugnat, ad quam improviso adveniens Moenas summa laetitia afficit Marcium, qui denuo movet arma contra alia oppida. Romae Senatus nuncios mittit, et jubet, ut si quod oppidum oppugnetur, vicinus populus ferat auxilium. Ufens in luco albano caedit arbores; ex quo Thyrrus agricola irascitur, et cum rustica turba decernit machinas belli comburere, vix conditae fuerint. Romae perturbatio ob victorias Coriolani; Antii primum commercia describuntur, tum gaudium, et ludorum celebratio. Legati a tusco litore redeuntes Tullo referunt dissensum Regis a sociandis copiis; Tullus vero constanter parat bellum, et urget egressum classis a portu Ostiam versus. Cajus contra Lavinium profecturus Palmum recipit ab Antio redeuntem.

Extulerat signum Laurenti victor ab arce;
Ingressas cum fama tuum sonat, Ostia, portum,
Et remis vectas averso flumine Romam
Messe graves pinus. Rumore accensus amaro
Infremit armipotens ductor, quod caerula ponti
Romulidis pateant; cum falsis vocibus aurem
Fama replet, Romae portis erumpere turbam,
Opprimat ut subito Volscos in praelia poscens.
Elpenor Mariusque doli fabricator adaugent
Eloquii fervore fidem, milesque ducesque
Marciadis circum tectum funduntur, et Urbi
Vertendos clamant gressus, jam castra latina

Digitized by Google

Linquendi tempus. Sed nisus fictaque verba
Marciades noscit, species quem non capit ulla,
Cujus adest menti bellorum lucidus usque
Ordo. Tum gressus effert e limine, turbis
Et circumfusis tacitisque ita farier orsus :
Quaenam jactatis temere? Haud vos fallere dicam,
Ast equidem falli. Celsis erumperet hostis
Si muris, somno nursinus lumina ductor
Victa daret? Volucri non huc praemissus adesset
Vectus equo miles? Mentem spes ludrica fallit,
O fortes juvenes. Num non munimina Romae
Sunt oculis? Immotas ferro frangere portas,
Belligeras acies et dudum vincere suetas,
Murorum moles solidas et sternere turres
Tantane vis nostris armis? Nonne agmine primum
Augendae Volscùm vires, et certa paranda
Auxiliis multis victoria? Robora, scalas,
Ariete cum crebro balistas numina vobis
E caelo mittent? Vesania! Vincere fortem
Nam quis confidat belli sine molibus Urbem?
Condendae hae prius e silvis, cogendaque pubes,
Et multae gazae; conjunctae foedere Romae
Fundendae gentes, terrendus fortiter hostis.
An demum bellum sine mente feretis in Urbem,
Cum queat a tergo vobis insurgere fortis
Ardea? Jam primum telis hanc sternite; tandem
Irruite in Romam; scalas exposcite; primus
Celsa ego murorum scandam. Sic maximus heros;
Hinc subdit sapiens Anthaejus: volsca juventus,
Desine tela virùm frangi sperare furendo.
Nec virtute teres Romam, nec classe, nec ulla
Dexteritate loci vel temporis, arma magistra
Ni ducis ars moveat. (Memorando frendeo); nonne
Hactenus Aeneadum jacuerunt cuspide fortes
Volscùm, queis excelsa ducis sapientia deerat?

Tu quoque tellurem morderes dente cruento,
Et versis Volscûm lugerent moenia fatis,
Ni tibi Marciades, cujus quid prosit in armis
Explorare labor, tibi jussa capessere fas est.
Pro veris ergo non jam speciosa sequare
Somnia, neu rue torrentis vel fulminis instar
Quo te cumque trahit juvenilis fervor; et armis
Cum multum valeas, ne te quoque luce decoram
Consilii credas, quod multis crescit ab annis.
Illius ad voces, cui Dì volscusque Senatus
Imperium dederunt, facilis vel spicula ponas,
Vel jacias; et quaeque dies tibi tempora lauro
Cinget; nec certe procul est lux aurea, quando
Romanas portas intrabit volsca triumphans
Pubes, et dabitur magnos haurire laborum
Fructus. His dictis Cajus fortissimus armis,
Anthaejusque pari studio contendit, ut ardor
Incautae sensim pubis deferveat, acres
Atque animos mulcet dictis flectitque monendo;
Tum jubet arma parent, nec non vicina petatur
Ardea luce nova. Sed ductor mente revolvens
Principis hospitium generosum et munera Tulli,
Quatuor alipedes capite et cervicibus altis
Belligeros nitidos ostro pictisque tapetis
Instratos freno aurato rutiloque monili,
Et pictum pugnae Laurentis praemia currum
Et clypeum auratum pulcherrima dona remittit.
At reliquum praedae Volscùm jubet oppida laetis
Accipiant portis. Generosi dextera Marcî
Omnia festivo largitur pectore, plura
Et cupit, ut volsci populi sub corde voluptas
Crescat in immensum. Complentur castra stupore,
Et dux setinus: nam quid tibi, magne, relinquis?
Reddit at ille: mihi pulchri sat gloria facti.
Attonita his dictis siluerunt ora parumper;

Tolluntur tandem castris ad sidera voces,
Et dux divino dignus celebratur honore
Aversatus opes, ad quas persaepe parandas
Mens hominum facies haud ullas criminis horret.
At Veturiades, ceu virgo pudica rubescens,
Ora premit digito, mandatque silentia linguis.
Necnon Tulliadis pietas sua dona verendo
Crateras magnos argenti lumine claros,
Aurato capulo gladium patrique pharetram
Offert; ac torquem gemmis auroque micantem,
Et niveum donat peplum tuscumque laborem
Purpureas chlamydes matri pulchraeque puellae.
Tegmina contra hyemes praebet villosa parenti
Antiquae ductor Caeni; dat Silvius acer
Formosae uxori peplum; puerisque tenellis
Umbro, Coras dulci fratri, proavoque recurvo
Aetate exsultans Volusus sua munera mittunt.
Marcius hinc Palmum, felix cui copia fandi,
Advocat, et mandat, subito contendat ut Antì
Ad muros referens laudes pugnataque bella
Volscùm, palmarum testes et portet opimas
Praedas; tum jubeat ventosa per aequora classis
Advolet ad fauces Tibris, ne Roma carinis
Excipiat fruges, viresque superba resumat.
Nec mora; certatim surgunt et jussa facessunt
Agmina. Pomptinos incedit longus equorum
Per campos ordo, qui dorso pondera iniqua
Pugnarum portant argenti multa talenta
Exuviasque ducum, quae Volscùm aeraria ditant
Aut divum decorant aedes; fulgentibus hastis
Circumeunt vigiles equites, ne rustica turba
Diripiens gazas, effossis celet in arvis;
Tum sublimis equo festivis saltibus acer
Consequitur turmam Palmus resonantibus armis.
At postquam vires repararunt agmina somno,

Marciades primus surrexit. Jamque fugata
Stelligera nocte eois aurora rubebat
Oris; jam volscae procedunt ordine longo
In campis acies; Laurenti armata juventus,
Quae versa est ultro Volscorum ad jura tuenda,
Aequis consequitur gradibus; dant gutture cantum
Omnes; laetitia in vultu, spes pectore fervet.
Jamque in conspectu Volscûm prope caerula tusca
Surgebat muris ac turribus Ardea fortis,
Ardea quam rapidis fertur delata carinis
Acrisium fugiens Danae fundasse colonis
Argivis, rutulique tori regnique vocasse
In partem genitum Pilumnum patre deorum.
Urbs fortis Turni memorans et robur avorum
Non se continuit muris; ast impete caeco
Educens acies campis commisit apertis.
Nec mora; ceu tenuis pulvis seu stramina rapta
Vento, romani metuendos exulis ante
Arcus diffugiunt acies, et vectibus aeris
Et portis fractis panduntur moenia; tamquam
Vis tempestatis ruit ille rugitque tenetque
Praedam. Sed Moenas setina egressus ab arce
Moenia vectus equo volucri ardeatina petebat,
Cujus non tantum torquebant vulnera pectus,
Quantum Marciadis magni discessus amarus.
Vix notos autem vultus et pallida fuso
Sanguine viderunt custodes liminis ora,
Antevolant summo ductori fausta ferentes.
Forte recensebat gnavus cujusque manipli
Tum Veturiades numerum. Vix auribus haurit
Dilecti reditum Moenae, mox cuncta relinquit;
Igne micant oculi, tremit artus; fortius urget
Pectora cor laetum. Occurrens Volscûm Rutulûmque
Densa inter, voces et palmas tendit amico
Vix portam ingresso; gaudetque videre serena

Illius e fronte erumpens fideique speique
Lumen, et ex oculis robur mentemque sagacem;
Aspicit intrepidum pectus dextramque benignam,
Quae toties Cajum hostili a cuspide texit.
Haec Veturiades memori sub pectore versat,
Luminibus Moenam tacitis totumque pererrat.
Tum lentis vadunt cum turba passibus ambo;
Hinc atque hinc tollunt palmas magnoque salutant
Agmina Volscorum sonitu, plauditque tubarum
Clangor. Dilectum celsas comitatur ad arces,
Inceditque pio Moenam prope Marcius ore
Multa rogans. Laeta vix vulneris ora coire
Aure capit, tendit memores ad sidera palmas;
Tum superum regi media testudine templi
Stipatus turbis aris imponit honorem,
Et meritas reddit Moena pro sospite grates;
Volscorum vires hinc copia recreat escae
Et somni munus. Nondum praenuncia solis
Stella renidebat caelo; sed castra pererrat
Voce vocans celeransque egressum Marcius; arcet
Impiger et repetens, effuso sanguine Moenam
Orat adhuc fractum, domita consistat in urbe.
Terrores inter belli sed linquere carum
Marciadem Moenas constanti denegat ore,
Laetus, quod multa rursum vi torqueat hastam,
Utque ducem servet, praeclarae occurrere morti
Possit; primus equi ac tergo consueta reponit
Membra manu saevas hastas atque aegida stringens.
Tum Cajus stimulos Volscûm sub pectore versat
Ad magnos nisus, ad pulchrae praemia famae,
Armaque et immensum caepit fervescere vulgus.
Ac veluti supra densas cum spirat aristas
Eurus, sese urgent undanti vertice spicae,
Sic tot densa premunt se millia. Clamor ad astra
Ac multa pulvis caligine tollitur; aura

Hortatu resonat; fluitant vexilla notorum
Flamine. Continuo metuendo murmure fama
In Romae socios a Volsco tela moveri
Per Latii volitat campos et pectora turbat.
Sed veluti pinus rector stridente procella,
Spem pacis contra patrum sapientia spectat
Surgentes fluctus, quo latius arma triumphant
Marciadis, majorque malis superaddere curat
Vim domitis nondum sociis; hinc moenia linquunt
Purpurei cristis equites mandata ferentes,
Ut si quae Volscûm tempestas fulminet armis
Oppida, vicinum concurrat protinus agmen,
Erigat atque animos, hostes ac opprimat; euri
Ast vis discerpit vacuas mandata per auras.
Haec inter socios hortatus ad apta paranda
Instrumenta, quibus frangantur moenia Romae,
Dux educebat castrorum limine turbas
Fabrorum cuneos Ufens nitidamque bipennem
Tollentes humeris, et circum milite septas;
Inconcinna canunt festiva carmina voce
Agmina, dum properant ad densos arbore lucos
Albae. Producens Martis mons usibus aptum
Multum silvarum vicinis vertice supra est
Clivis; piscosi radices profluit unda
Stagni; foecundum quondam latus Alba premebat,
Ausa trium fratrum gladiis imponere Romae
Leges; Albanus quare collisque lacusque.
Ecce autem Volscus resonantis turbinis instar
Invadit vastam silvam lucosque silentes;
Jam sese verbis hortantur; fulgurat alta
Horrendumque sonat recidens impacta bipennis,
Terra tremit; saliunt hinc illinc fragmina ad auras.
Ingeminant ictus; arbos haec vertice nutat,
Extremumque gemit; collapsa repente ruinam
Cum sonitu illa trahit; malecautus pallidus ore

Vix refugit sector; ceu vasta mole gigantes
Procumbunt quercus annosae, fraxinus alta,
Castaneae, nodosa ilex, et nigra cupressus.
Instat dux acer celerans, et saepe micantem
Ipse manu vibrans in robora dura securim.
Hinc cuneis lignum pars findit; ab arbore vanos
Pars resecat ramos; alii de montibus altis
Devolvunt truncos; pars tardi tigna trahentis
Terga bovis stimulat; speluncis diffugit alto
Bellua pulsa sono, nidum liquere volucres.
At celsis praeceps muris egressa tribuni
Ira in Marciadem patresque agrestia corda
In patriam simulans pietatem accenderat, Albae
Vastatumque nemus turbis monstraverat, inter
Quas durus Thyrrus, cui late credita campi
Posthumio a claro custodia, lumine torvo
Spectabat caesos lucos; nam pectore fervet
Urbis amor. Campis vocat hic, et colligit intra
Rustica tecta manus, queis sic e corde furorem
Conceptum promit: sacros Dis ergo secari
Lucos, hisque Urbis patiemur moenia scandi,
Et nostros agros populari? Bella, rapinae,
Queis hos vastavit tam cultos impius hostis
Campos, non explent fera pectora? Barbarus ergo
Confringet nostris portas et moenia Romae
Silvis? Haud equidem, si prisca est pectore virtus;
Ingens discrimen, non parva at gloria; quisque
Tela animumque paret; moliri et fortia ferre est
Romani. Demus, Volscus struat horrida martis
Instrumenta trabes jungens; tum cuncta repente
Nocturnus nostris immissus devoret ignis
Dextris custode occiso; dux Thyrrus. Habebat
Hos vultu accenso, villoso et pectore anhelus
Sermones, saevusque suas rapiebat in iras
Turbam. Tunc olli tollunt ad sidera dextram,

Horrisonaque necem voce atque incendia jurant,
Et limen linquunt, atque arma facesque requirunt,
Aptaque corde vocant audaci tempora facto.
At Volsci remeant alacres ad castra ferentes
Silvas. Concurrit confestim turba fabrorum;
Jam raucum serrae strident, ac ferrea scalpra
Effodiunt quercus; dextra libratus ab aure
Malleus infigit clavos et robora jungit.
Vox sonat interea romanis auribus arma
Volscorum superasse tuos, vetus Ardea, muros
Et Laurentanas moles veteresque Bovillas,
Atque tuas, Politori et fortis Aricia, turres
Dejecisse. Frequens cursus per flexa viarum
Et coetus varii huc illuc, irataque verba,
Sublati ad caelos oculi, atque ardentia vota.
Tum velut unda minax immurmurat ante procellam,
Romulei sic ira fremens erumpit. Ab ense
Aeneadum jaceat campis confossus ad unum
Volscus; cuncta ruant scelerata a culmine tecta;
Cunctas praedonum jactatus devoret ignis
Puppes, qui toties juratae foedera pacis
Frangentes, Latium sociorum sanguine foedant!
Sed pugnaturos non semper Marte secundo
Hostes Trojugenum multi spe corda serenant.
At jam murorum pinnas ac tecta videbat
Adproperans ductor Palmus; jam longus equorum
Ordo subit portas Antî. Pia lumina tendens
Illo forte die romanum pulchra puella
Ad caelum luctu mentem pascebat Amata.
Namque videre putat dilectum cuspide laesum
Crudeli juvenem, nec non trepida accipit aure
Clamores; videt ora modis pallentia miris,
Atque preces fundit lacrimasque utrique parenti,
Ut celeret cursus aliquis qui certa reportet
De sponso; aequales torquebant corda Camillae

Curae; vix etenim stabant in limine portae
Ora virûm, currens, an dulci tristia ferrent
De nato, tremulis labiis pallensque rogabat;
Nec jam cura memor sub nocte recedit ab illis.
Cum pius at laetis caelorum rector amara
Temperet, ecce statim nubes fugit atra doloris;
Undique turba ruens, dorso miratur equorum
Ingentes belli praedas; ac ore diserto
Donorum pompam fert Tullo Palmus, et orat
Classis ut e portu solvat, volitetque per aequor.
Continuo resonat festivam fama per urbem
Tulliadis gladium multum sibi laudis adeptum;
Numen adesse quidem quod fortia facta gubernet
Ductoris summi; nam Volscus ubique triumphat;
Tum laetis manibus capiunt insignia dona.
Altam cervicem in primis miratur equorum
Tullus, et argutum caput et per colla per armos
Ludentes crines, ardentia lumina, latum
Pectus et incessus altos graviterque sonantes,
Auratas phaleras, clypeique insigne decorum,
Et nitidos auro currus, pateramque micantem.
Praecipue celsas complet praeclara Camilla
Festivo sedes sonitu, et lacrimis rigat ora
Accipiens manibus generosae munera prolis,
Atque bonis palmas nato pro sospite Divis
Atque oculos tollit; fundens et vota calentes
Exornare aras solemni munere spondet;
Ast iterum juvenis claros audire triumphos
Poscit et expleri nequit, et per singula volvit
Lucentes oculos, spectando atque ardet Amata;
Et modo candenti circumdat tortile collo
Aurum, nunc humeris peplum suspendit eburnis,
Nunc vestes interque manus et brachia versat,
Multa super Grajo rogitat, quae passus in armis,
Qua vi circumagat gladium, quo torqueat hastam

Turbine; nunc risus jucundus ab ore sereno,
Nunc lacrimae dulces erumpunt. Tota moveri
En populosa viris urbs et loca puppibus apta,
Atque mare, inque viis plaudentis fluctuat agmen
Vulgi; solemnes jam cura instante Senatus
Ludi, propitiis et Divis dona parantur.
Antî portus erat media munitus in urbe
Classibus et lucri spe ductis navibus aptus.
Sollertes veluti frigusque famemque timentes
Formicae messem populant, tectoque reponunt,
Itque reditque frequens nigri vis agminis agro;
Sic populus fluit, ac refluit, premiturque viro vir;
Urgetur currus curru; omnis semita fervet.
Hic plenas vacuans pinus descendit ab altis
Pontibus; ascendens vacuas gravat ille carinas.
Est inter cantus nautarum cernere puppes
Ostia linquentes portus, et pondera ferri
Euboicis Cumis portantes. Aere gravatae
Ast innant aliae pariter vada salsa secantes
Gallorum versus Cereri gratasque Lyaeo
Oras. Pars ventis expandit vela vocatis
Tyrrhenumque fremens, Syrtes, nimbosque lacessit
Litora Iberorum versus generosa metallis,
Aut Libyae ripas ardenti sole perustas,
Quas inter gemmae radiant rubrumque corallum;
Et fert loricas, gladios, galeasque comantes,
Hastas, scuta virûm, pharetras, alataque tela
Miranda perfecta arte et fulgentia longe.
Portubus excedunt plures annosa vehentes
Robora, flaventes ceras, campique refertos
Divitiis saccos; et pinguia rura Panormi,
Aut riguum quaerunt Paestum redolensque rosetis,
Vitibus aut cultas queis floret Massicus oras,
Messanaeve solum reddens cum foenore fruges,
Sive Syracusas foecundaque fontibus arva;

Nec Scyllae metuunt rabiem scopulosque sonantes ;
Has idola gravant, paterae, sacraeque secures,
Et ferro splendens aut aere decora supellex.
Multae ad Brundusii, quo desinit itala tellus,
Moles et dives litus moderamina vertunt,
Partenopeve tuos ad laetos messibus agros,
Sardiniaeve sinus, aut Ilvae aut Corsidis actas,
Aut Adriae ad portus ac aequora crebra procellis,
Fictiliumque gerunt genus omne et lucida vasa,
Quae currente rota seu Volscûm dextera finxit,
Seu Caeres miris seu Vulcia picta figuris
Insignique dabat forma, quibus artibus olim
Edocta immensam fundebat Etruria lucem,
Squallida dum reliquas urbes obduceret umbra.
Nativos veluti scopulos nidosque columbae
Remigio alarum laeto stridore petentes,
Optatos naves portus intrare videres,
Ditibus et Volscis hispana metalla referre,
Illyricasque pices, et dulcia munera bacchi
Campano siculoque solo collecta, rubrique
Dona freti pictas gemmas, electraque flava,
Ac indos dentes quaesita insignia colli,
Foemineae ac vestis, procerum ornamenta sepulchri.
Haec operosa vigil tractat commercia Volscus
Oppida divitiis complens ; ex agmine tanto
Dumque sibi studiis conversis quisque labore
Assiduo indulget, pariter communia miro
Ordine quisque parat totius commoda gentis ;
Civilis multis constat sic orbibus ingens
Machina, quos jungit, versat communis egestas.
Vix sonat heic Volscûm victoria, litus et unda
Laetitia gestit ; Tyrrhenus navita lauri
Serta super pinus imponit carmine laudes
Volscorum cantans ; malis dependet ab altis
Clari Sulmonis monitu, cui classis obedit,

Digitized by Google

Vexillum gentis, laetas fluitatque per auras;
Festivos cernas omnique ex aede ruentes
Cives. Pars oleo exercet labente palaestras;
Nudata in Circo certando ad littora currus
Pars agitat, proni dant lora, et verbere torto
Instant aurigae, jam humiles, jam surgere ad auras
Cernuntur spuma humentes, flatuque sequentum.
Cumque hominum mentes descendens lumen ab alto
Ducat, ut aeterni rectoris Numen adorent,
Exornans merita victricia tempora lauro
In primis princeps Tullus conspectus in auro,
Augustusque patrum coetus, claroque creati
Sanguine, tum vulgi vis sacras tendit ad aedes;
Ante vaporatas aras solemnia patri
Caelicolum atque hominum sacrantur vota; supremus
Ornatus vittis niveaque in veste sacerdos
Adstat fronte gravis Tullus, tollitque bipennem
Fortunae in templo; taurorum sanguine multo
Terra madet, muris figunt hostilia signa,
Suspenduntque tholis victorum tegmina et hastas.
Nec non ingreditur templum pulcherrima nata
Anxuris, e pario quo prostat marmore signum
Mirandum Veneris; sequitur formosa caterva
Cultas tecta comas velis candentibus; illa
At pulchras inter, veluti inter sidera luna,
Fulget, cui malis addunt oculisque nitorem
Gaudia; mirantes submissa haec dicere voce
Antiaci inter se proceres coepere: puella
Pro tali haud mirum quod tanto flagret amore
Tulliadis pectus, pulchro quae morte carentes
Ore Deas aequat. Succedunt ordine sacris
Virgineum portis agmen; manibusque benignae
Offert dona Deae sponso pro sospite Amata,
Auro contextum peplum, cui mollis acanthus
It circum; mites et lotas lacte columbas

Digitized by Google

Sistunt ante aras, casto tunc ore puellae;
Alma Venus, cordi cui pubes, protege nostras
Spes juvenum flores saeva inter praelia. Cypri
O pia, formoso avertas a corpore Graji
Romani telum praedonis, subdit Amata
Attollens palmas; haec inter brachia lauro
Ornatus redeat sponsus celebretque hymenaeos.
Phoebigenae templum ingreditur stipata Camilla
Matribus, haud omni depulso e corde timore,
Effunditque preces, ut prolis corpore pellat
Omnigenas pestes morborum, sistit et olli
Festas ante aras gallos cervicibus altis
Et bene cristatos pictos caudaque coruscos.
Interea egreditur resonis e moenibus urbis
Fama recens, campis et sese fundit apertis.
Fit strepitus, ludos volscae solatia gentis
Instaurant. Cernas e ramis pendula tigna,
Quae super impositi correptis funibus acres
Se librant juvenes, dumque huc jactantur et illuc
Describunt arcus, lunae ceu cornua; laeto
Carmine nunc caelum versus tolluntur, ad imum
Nunc delabuntur, signantque superba, vel ima
Fata hominum; fixo circumstant lumine turbae.
Silvanus dives pecoris, qui forte necandos
Urbi quaesitas escas adduxerat agnos,
Evadit portis remeans ad rustica tecta.
Fiscellas gracili et crates texebat hibisco
Pars sobolis; pingues sulcabat caetera campos:
Linquite cuncta, inquit, laetumque innectite carmen
Magnanimo Cajo. Laudes et munera Marcì
Tum memorat, laetoque prior sic incipit ore:
Ut collis prato decori est, ut collibus arbos,
Tu decus his campis; caperet te haec ora priusquam,
Infelix lolium, sterilis surgebat avena;
Pro cerere in sulcis crescebat carduus horrens;

Nunc sata laeta caput tollunt, nunc omnia rident;
Et remeat viridi gaudens Feronia luco.
Hunc omnis chorus, et pueri sic voce sequuntur:
Assurgit viridans inter viburna cupressus,
Atque super pontum se tollit saxea Circes
Rupes, et volscas super urbes moenia surgunt
Antì; sed mage ductorum super agmina fortis
Assurgis, Marci; Volscùm jam litora curva,
Murmure jam rigui fontes, jam concava saxa,
Ille Deus nobis, ipsa haec arbusta susurrant.
En tibi, Silvanus subdit, duo pinguis olivi
Pocula, bina feram lactis, niveosque quotannis
Agnos, et violis, et purpureis narcissis,
Atque rosae laurique ornabo frondibus aras;
Cantabunt mihi pastores et Silvia conjux,
Ad numerum salient puerique levesque puellae,
Atque sonum pulsae referent ad litora valles.
Felices Antì resonant his plausibus agri;
Nec minus exsultant acies, quae moenia Volscùm
Servant, Marciadis virtutem et gesta canentes,
Qui spatia exsuperat paucis emensa diebus,
Quae minime saeclis alter percurreret heros;
Jamque efferre pedes ardent ex arcibus, inter
Et belli fluctus laudis pervadere portus
Sub duce praeclaro. Sed jam redolentibus herbis
Repletae pecudes remeant ad ovilia; laeto
Mugituque boves intrant praesepia; namque
Occiduus campis suadet discedere vesper.
Ecce autem revocat clusino a litore gressus
Ad patrias Clytius sedes, responsaque regis
Haud optata refert: felices divite ponto,
Rex ait, o gentes, felices ubere campo,
Foedus amicitiae tuscas vetus alligat urbes
Cum Volsco; nobis ac nil antiquius, ambos
Ut nexus populos constringeret arctior. Et nos

Aspicimus, quantum formidinis excitet aucta
Vis Urbis sese circumfundentis, ut ignis;
Atque volens vestris Etruria jungeret arma
Ad restinguendas flammas. Sed maxima regum
Cura bonum commune vetat, nos ferre cohortes
Regni extra fines. Bis inclementia Divûm
Tuscos confregit gladios, Urbemque superbo
Servius intravit curru. Sat caedis acerbae,
Cum pro Tarquiniis male provida sumpsimus arma,
Pertulimus. Potior multis pax una triumphis
Nunc beat hos populos; immensas divite cornu
Atque heic fundit opes; dudum commercia florent
Atque artes. Belli tamen haud abjecimus omnem
Curam; nam pubis vires atque arma paramus;
Et si quis clausos muris invadere ferro
Audeat, insurget tunc omnis Tuscia in armis.
Jam vero haud nostro Volscûm gens indiget ense;
Sunt satis, ut lauros martis decerpat in arvo,
Et propriae et sociûm vires et dextera Marcî
Qui magnae Hesperiae caelis effulget ut astrum.
Quare agite, o lecti juvenes, incumbite totis
Viribus ad pugnas inceptas omine laeto.
Interea sacros aris imponimus ignes,
Ut nunquam verso volscas sors aspera vultu
Perturbet gentes, quarum victricia signa
Vix capitolinis cernemus in arcibus, armis
Tollemus volscis plausus, et dona feremus.
Quod regis votum, quae sit sententia bello,
Optime dux, audis. Clytius dedit ore loquendi
Finem. Diversis agitantur pectora patrum
Motibus, et vertens huc illuc lumina ductor
Contrahit his frontem, nec fert responsa; sed urget
Res belli, atque novam pubem legit; instat, ut armis
Quamprimum volucris velis rostrisque paretur
Classis, fluctivagasque Tibris mittatur ad oras

Ad Veturiadis monitus. Rapiebat at ille
Ad debellandas urbes, ad pulchra pericla
Impiger armatam pubem; Volscûmque catervas
Accelerare gradum jam viderat omine fausto
Tusculi et Albani frondoso vertice collis;
Fulgentes armis pedites equitesque superbi
Transierant resonas undas et stagna Numici,
Et laurentanos nigrantes ilice lucos;
Cum ducis ad nutus acies sub moenibus altis
Lavini frenat gressus, quod caetera supra
Oppida fraterno complectebatur amore
Roma, quod et supra reliquos collegerat arma
In Volscûm populos, arcesque adjecerat urbi.
Ecce autem laetus sese referebat ab Antî
Moenibus enarrans solemnia munera templis
Oblata, et ludos et volscae gaudia gentis
Ob domitos Palmus populos. Tum talia laetus
Marciadi: clari nunc tu responsa reposcis,
Optime dux, Tulli. Praedas et munera postquam
Obtulimus, mitti classem, citiusque docemus
Romulidis claudi pontum; sic ille sereno
Reddidit auditis: quis digne tollat ad astra
Curas Marciadis generosas? Nuncius ergo
Laetitiae propera, classem jam poscere ventos,
Sulmonemque ducem verbis accendere martem,
Res belli reliquas laeto procedere cursu.
Vix ea dux Palmus: Volscûm fortuna secundat,
Armipotens clamat Cajus, laetasque cohortes
Extollunt voces, Lavini et praelia poscunt.



Digitized by Google

LIBER QUINTUS

ARGUMENTUM

Lavinii expugnatio describitur, qua caeditur Grajus. Aequorum adventus in Volscorum auxilium. Tullus novas copias colligit ad subitas belli necessitates. Sulmo classis praefectus solvit, sed quassatae procella naves refugiunt ad portus, ut reficiantur. Anagnini renuunt foedus cum Volscis inire. Romae patres aliam legationem animo volventes, prius Appium ire jubent domum Coriolani, ut ejus consilia e matre et e conjuge exploret; sed ob dicti imprudentiam Appius objurgatus a Veturia dimittitur. Superatur a Marcio Coriolum, Polusca, et Longula, in qua vulneratur Pomponius. Elpenor occisurus Pomponii filiam cohibetur a Marcio, a quo Pomponius cum uxore et natu Romam honorifice redditur. Romae populus excipit cum plausu Pomponium; sed conturbatur novis Volscorum victoriis, et efflagitat ut Coriolanus revocetur; obstat autem Senatus.

Laudata antiquis factis atque ubere glebae
Magna parens Albae ac Romae, regina latini
Nominis, excisa quam Troja struxerat ingens
Aeneas . tusco non longe a litore surgit
Graminei urbs medio collis. Lavinia conjux
Dardanidis dederat nomen. Servire togatae
Urbs renuens Romae arreptis praefecerat armis
Vecilium Spurium; sed ferro victa Quiritum
Pro Roma stabat constans. Hanc turribus altis,
Praesidiis, vallis Albinus strenua proles
Urbis munierat. Vix hostis proxima vidit
Signa, alacer lecto erupit dux milite portis
Conseruitque manus. Intento lumine turba
Spectabat pugnas clivorum summa coronans,

Et quassabantur diverso pectora motu ;
Sed nil Marciadis virtuti restitit ; ingens
Vis Volscùm vallum superaverat ; hostis at acer
Fixit ubi primum plantas, ibi quisque jacebat
Nobile demonstrans acceptum pectore vulnus,
Iraque pallenti spirabat militis ore :
Progressas inter turbas primosque maniplos
Exanimes cecidere duces ; vix limina pauci
Cum duce magnanimo calcantes cardine verso
Aeratas portas claudebant. Caerula vento
Ceu spumant, vastique ruunt ad litora fluctus,
Marciadis nutu in muros sic agmine denso
Praecipitant Volsci docti fallente sagitta
Italus, et Palmus, lethali cuspide saevi
Elpenor, Frento, nec non Mariusque Corasque.
Insilit hinc ferrum, ceu grando corruit illinc ;
Volsca caede solum tegitur, rivisque cruentis
Moenia Lavini tinguntur. Nullus ad auras
Arcitenens vanas contorquet spicula volscus ;
Fertque Dolon scalas humeris, et moenibus altis
Inclinat primus ; sed saxum decidit ingens
Pars montis, socios magna dum voce vocabat,
Et confringuntur scalarum robora, ductor
Vix manet illaesus. Scandendi moenia primus
Optans Frento decus gradibus jam nititur ; hostes
Sed longis arcent hastis sudibusque praeustis.
Omnibus armipotens ad limina viribus instat
Marcius, et scuto circumdans tela retundit
Moenas, ne caros aliquod super irruat artus :
Marciades Volususque ruunt mucrone cruento
In fractas primi perrupto limine portas,
Et primos sternunt transfixo corde ; secutus
Umbro veliternus turmas vocat, urget, et altus
Caedit equo pedites, rupto velut aggere torrens.
Hinc atque hinc secum vortex peditesque equitesque

Digitized by Google

Volvit et abscondit; sese turba impedit, urget
Angustas inter fauces; gravis ungula equorum,
Turbaque confundit lapsos; capita alta frequentes
Quadrupedes tollunt, laniant peditesque cruento
Vicinos ore, et captant vix aera hiantes.
Certatim in Volscum mittit gens acta furore
Ferventes undas, ingentia robora, saxa,
Hastas, omne genus telorum a culmine tecti.
Se lentis Volsci propellunt passibus; acres
Lavini populi nam caeco marte resistunt.
Fortis at incensus famae majoris amore
Evolat ex oculis summi ductoris, et armis
Se densis Grajus miscens ad saeva pericla
Voce vocat Marium, quem nulla pericula terrent;
Atque rapit scalam qua scandat moenia, densum
Fulget ubi ferrum. Securis gressibus alta
Ille petit, clypeoque levat, quo protegit ora,
Telorum silvam. Post ipsum pectore firmo
Dux graditur Caeni. Manibus sublimis at ille
Murorum pinnas jam corripit, oraque vertit
Nunc animos addens comiti, nunc territat hostem;
Ac tandem voti compos dans corpore saltum,
Ceu turris, juvenis muri super ardua surgit.
Nec mora; vi fretus medios procurrit in hostes;
Cominus et Tmolum claris prosternit Achatae
E natis ortum densas ad moenia turbas
Ducentem; caput in medium cui tela ferenti
Hastam defigens crudeli vulnere binas
Discidit in partes, percussit cuspide ad ipsum
Tempus per galeam praeclaro sanguine Capis
Lucam pugnacem ante alios; cui proscidit ictu
Os, et foedavit cerebrum. Dum spicula vibrat
Gyges Sergesti genus altum, figit adacta
Hasta Tulliades pectus; cadit ille cruorem
Ore vomens; celsa Mnesthei de stirpe Thoantem,

Qui crebro jaciens resonanti spicula cornu
Magnanimum dictis juvenem irritabat amaris,
Ceu turbo invadit metuenda turbidus hasta,
Ventris et in medio telum configit acutum;
Hasta gravis dorsum trajecta cuspide ad imum
Exiit; ille animam exhalans immugiit, altum
Taurus ut immugit. Formoso corpore clarum
Ex atavo Ilioneo transfigens ilia ferro
Dejicit Herminium; succiso poplite Buten,
Rhamnetem, Fadum, Clytium, Rhoetumque, Remumque;
His addit Clonium et praedurum viribus Orsen.
Non minus ense ferit dux Caeni; Therea caedit,
Harpalicum, Lirim, Pegasum; prosternit Amastrum,
Hippotaden, Tanaim, Messapum. Terga pavore
Correpti vertunt hostes, quos vulnere constans
Infesto insequitur juvenis; cum lumina Cajus
Convertens frustra absentem cognovit amicum;
Auxilio fortemque Coram Anthaejumque remittit,
Qui juvenem florem dura intra praelia quaerant,
Atque suam curam, Volscorum, spemque parentum
Exitio servent. Olli per saeva pericli
Sollicito circum volventes lumina corde
Accelerant gressus, tandemque micantia Graji
Arma, jubas cernunt, cui nondum cesserat hostis:
Voce vocant; notos sonitus vix accipit aure,
Volscaque tela videt, gaudens ire obvius ollis
Nititur, atque viam ferro sibi pandere Grajus.
At contra densas impar consistere turmas
Ad terram Anthaejus procumbit pondere vasto,
Hostilesque Coras gladio vix continet iras.
Dat gemitum Grajus generosus, et irruit armis
Pro cano capite in medios. Ceu fulmen ab atris
Si ruat in praeceps nimbis, ubi cogitur agmen,
Desiliens ignis remeans hos sternit et illos,
Et quos non tangit flammis, hos fulgure terret;

Sic quocumque gradus convertit strenuus ense
Fulmineo juvenis, lethali vulnere pectus,
Ilia, vel jugulum figit. Bisdena virorum
Incursu primo prostravit corpora, plures
Fulgore armorum convertere terga coegit.
At proles Romae Albinus licet omnia versa
In pejus videat, non se certamine duro
Pro patria retrahit; memor et virtutis avitae
Obvius et multa Volscorum caede cruentus
Procurrit forti Grajo; desistere pugna
Praecipit hinc sociis, qui cedunt aequore. Tulli
Tum constans proles ingentem vertit in hostem
Iras, laudari cupiens aut sanguine parta
Palma, vel claro letho; simul arma movere
Incipiunt acres socii Mariusque, Corasque,
Anthaejusque, solo qui tandem erexerat artus,
Pro juvenis vita trepidi, licet ipse recuset
Illorum generosus opem. Romanus in omnes
Cunctatur ductor partes; et lumina, dextram,
Atque pedem cautum movet; et nunc protegit artus
Opposito scuto, subitos nunc dirigit ictus
Hostibus infestis, mittit ceu fulgura crebra
Huc illuc ventis nubes commota; Coramque
Dejicit ad terram transfixo pectore; fortis
Ilia sed Marii lethali cuspide figit,
Hic autem captans vix auras pectore: laeti
Pro patria morimur; nostros tu protege natos,
Inclyte dux: fatus vitam cum sanguine fundit.
His ardet pietas subitoque extinguitur intus
Cor Graji; sensus haud istos tempora poscunt.
Quid juvenis, seniorque fero in discrimine? Constans
Pro capite incano Grajus, pro sospite Grajo
Fulminat Anthaejus; pulcherrima pugna resurgit
Summis digna viris. Laceros jam vulnere monstrat
Artus Romanus; sed vires vulnere sumit,

Fortius ut quercus ramis orbata resistit
Euris. Ast alibi confligens Marcius acer
Turbatos oculos fert circum multa requirens
De cari fato juvenis ; cor pectora pulsat
Valdius , ut genitoris amor circumvolat , ora
Nati inter caedes quaerens. Hostilis at olli
Obvius it cuneus , qui cernens omnia versa
In pejus, vanas iras deponit et enses
Ante pedes Marcì ; veniam quibus ille rogatus
Donat ; ubinam Tulliades , tum protinus infit ,
Grajus ubi ? Moestus dudum vestigo. Ferocem
At volsca referunt Albinum cuspide stratum
Ante fores arcis , socio sed milite tectum
Victorem Grajum. Laeto tum lumine ad arcem
Dux celerat gressus , atque eminus aspicit hastis
Immotis turbam , neque percutit amplius aures
Armorum strepitus , gaudensque salutat amica
Voce procul Grajum. Noto se dividit agmen
Clamori , atque imo gemitus dat pectore ; sed quem
Dux Veturiades virtutis lumine clarum
Dilexit , patrum pietas quem credidit ipsi ,
Quem ductor toties hostili a cuspide texit ,
Heu dolor ! heu pietas ! perfusum sanguine Grajum,
Cui furor Albini violarat mollia ferro
Pectora , pallentem vicina in morte tuetur :
Grai ! dux celerans , Grai ! pius inquit ; at acer
Fusus humo juvenis, dextramque oculosque gravatos
Marciadi vix extollens et pectore anhelo :
Sat famae vixi ; lacrimas absterge parentum ;
Tu miseris Grajus ; solare invicte relictam . . .
Coepit Ama emoriens , valuit neque dicere Amatam.
Eduxit gemitus imo de pectore ductor :
Non mortis durae casum , tuaque optima facta ,
Non equidem , nec te , juvenis memorande , silebit
Ulla aetas. Alio tum praecipit ipse vocatus

Relliquias juvenis miseras ad tecta referri.
Surgebat plateis mediis e marmore vastum
Fulcrum, cui tuscus conflata ex aere corusco
Mira opifex arte imposuit tria signa ferarum.
Dentibus exertis paleas et pabula flammae
Fert lupus immanis; volucris saturnia pennas
Desuper exagitans optatos suscitat ignes,
Quos mixtos fumo exsultans erumpere spectat.
At vulpes caudam quatiens, qua spargitur unda,
Nititur incassum miras restinguere flammas.
Haec portenta ferunt tacitis spectata tenebris,
Dum divum jussis Aeneas conderet arces
Lavini, solido signata fuisse metallo,
Arteque mirifica saeclis monstrata futuris.
Jamque ferox miles statuas a sedibus imis
Vellens ad terras urgebat. Maximus armis
Opportunus adest Cajus: jam parcite signis;
Quis furor? exclamat; terrorum et caedis abunde est.
Se vertens alio tum dissipat agmen avarum,
Quod Collatini fodiebat saxa sepulchri,
Ut mos victori priscam servarier aram
Et jubet incolumem, patriis qua sacra ferebant
Romani reges divis. Hinc limina scandit,
Corpus ubi juvenis praeclari moesta caterva
Atque manus famulùm servabat, et ingemit alte
In niveo gremio contemplans vulnus apertum,
Et fatur lacrimans: non haec promissa dedisti
Discedens patri; nam cinctum tempora lauro
Ille revisurum te patria limina laetum
Sperabat; tales spes ipseque corde fovebam.
At modo Romulidum perculsus cuspide dira,
Qui vincla Ausoniae nectunt, miserande, peremptus
Ecce jaces; valuit neque te mea dextera tectum
Incolumem servare patri. Sed turba inimica
Urbibus Italiae, quae terram dente petivit

Armis caesa tuis, etiam sub tartara nigra
Est meritas scelerum poenas sine fine datura.
At te qui victor clausisti lumina morti,
Qui jura Ausoniae tutari sanguine gaudes,
Te placidae capiunt sedes, et regna piorum;
Est data vita brevis, bene clausae at maxima vitae
Munera, lux jugis, pax summa, aeterna voluptas.
Haec pius imminiscens verbis suspiria fatur
Dux Veturiades; tum mandat ut auctus honore
Tulliades moestam patris referatur ad urbem;
Setinusque senex totoque ex agmine lecti
Mille viri moesto comitentur funera vultu,
Factaque magnanimi juvenis memoranda renarrent,
Et Veturiadis nisus, averteret omnem
Illius ut membris pestem; pugnasse sed atri
Vim fati edoceant, et fletu flentibus adsint,
Ingentesque levent paullum sic corde dolores.
Omni perfunctus pietatis munere demum
Victorum fessas vocat ad convivia turbas
In plateis mediis. At fusis artubus olli
Ad terram Cereris donis, et carnibus assis
Taurorum ventrem distendunt; munere Bacchi
Tum revocant vires. Sed postquam mensa remota est,
Amissum juvenem et socios sermone queruntur,
Ac demum sero dant lumina victa sopori.
At Veturiades moerens non attigit escam,
Haud stillam libavit aquae, dulcisque Lyaei,
Haud ullam coepit requiem, totamque gemendo
Traduxit noctem, secum crudelia fata
Deplorans juvenis, quem non virtutis egentem
Sors rapuit Volscis et funere mersit acerbo.
Titanis nondum croceo velamine fulgens
Mortales miseros ad taedia longa laboris
Excierat; pagis cum se referebat ab Aequis
Qui magnam capiunt gentem belloque ferocem

Legatus Tulli pulsata ad limina laetus,
Moenibus et volscis sociam ducebat ovantem
Pubem, quae famae et praedae spe culmina linquit.
Silvosae Trebae, gelidis qua vitreus undis
Jucundos Anio pisces alit. Inde sequuntur
Qui colles habitant et saxa minantia caelo
Cliterni atque Volae, quosque armis frigida cingit
Carseolis tellus, odit quam Palladis arbos.
Vos quoque misistis fortes in bella maniplos,
Simbrivii montes foecundaque fontibus arva
Ad resonas Anienis aquas. Formosus in armis
Aequicolus ducit sexcentum robora pubis,
Et magno pedites animo, qui caede ferarum
Praestant, armatique exercent arva bidente;
Hi rectum servant; ex his fecialia jura,
Pacis et armorum leges acceperat aequas
Quartus Romulidum rex. Fulva pelle luporum
Aut ursi induti villoso tegmine longa
Hirsuto lateri gestant venabula; acuta
Hasta manus armat; humeris stat dura bipennis.
Intulit ut gressus Aequorum ductor in altas
Volscorum patris sedes, haec libera verba
Militis effudit de more; est volscus et aequus,
Romulidum cordi qui semper vertitur, ensis;
Namque pari fertur Romani pectus amore
In paupertates imas, gazasque superbas;
Vexat avaritia turpi ditissima regna,
Pauperiem duro imperio; gens jugiter usta
Famae aurique siti, ingenio crudeliter utens
Destruit Ausoniae populos artesque colendi
Arva, gubernandique irata per aequora pinus,
Destruit et mores florentes pacis ad umbram.
Adsumus en justas ad pugnas; nulla laborum
Terrebit facies suetos. Ast agmina lecta
Aequorum tutis ne claudas arcibus, oro.
Digitized by Google

Deses praesidium, claro mox mitte pericli
Et famae in partem sub Cajo. Talibus ingens
Obstupuit Tullus, tum laude ad sidera tollit
Magnanimos sensus, luctusque ignarus acerbi
Infelix nato monitus, et munera mittit,
Et jubet Aequorum turbas accumbere mensis;
Ast avidas dextras optatam tendere ad escam,
Et crepitare olli malis; tum laudis amore,
Haud mora, succensi signis armisque levatis
Corripuere viam ducis ad tentoria magni,
Cujus replebat nomen caelum omne latinum.
Urgendis Tullus bellis haud segnior instat,
Ipsius et cura campo sese arduus infert
Bellator densus celsis sub moenibus Antì;
Qui saepe in fictis pugnis exerceat artus,
Ut si Volscorum instabilis fortuna sereno
Non faveat vultu, sustentet bella recentis
Examen pubis. Positis incudibus enses
Horrisonique arcus conflantur, telaque et hastae,
Et pharetrae, et galeae, et clypei, saevaeque secures.
Aspiceres Cereris donis heic agmen equorum
Scandere circaeos colles, ut moenibus absit
Esuries, illic se attollere brachia centum;
Atque fodi fossas antiqui moenia circum
Priverni, nitidis Amasenus qua fluit undis,
Rex ubi jura dabat Metabus fortisque Camilla.
Pometiae muris certatim ac turribus altis
Aptantur pinnae; declivis Setia firmo
Munitur vallo. Huc illuc, quae moenia servent,
Callibus oppositis acies properare videres.
Vectantur plaustris immani pondere quercus
Tyrrhenumque abies audax visura frementem,
Martia et armatur Coeni ad navalia classis;
Dux alacer Tullus partes versatur in omnes,
Gaudet et hortatur turbas, ut classis ad oras

Tibridis extemplo solvat, nec jussa retardet
Praeclari Marcî. Jam laetae litora volscae
Linquebant pinus, turgebant carbasa vento,
Et molita viam pelago volat incita classis.
Hinc atque hinc spargunt spumas, radiosque remittunt
Sole repercussi fluctus; immurmurat unda.
Continuo laetus repletas navita baccho
Constituit pateras Superis et libat; in orbem
Hausta dehinc cyathis tribuit liquentia vina;
Festa voce sonat pontus. Stans ductor in alta
Puppi protendit turbis ad litora palmas,
Inque vicem sese sustollunt brachia mille;
Tum vela et mali sensim pinusque recedunt,
Et populi intuitu classis se subtrahit. Ecce
Ex oculis Volscûm solem caelumque serenum
Eripiunt nubes, tenebris et pontus inhorret.
Immugit ventus; sese mare tollere credas
Fluctibus in caelum, in mare sese fundere caelum.
Turbinis incassum contra vim brachia tendunt
Turbatis oculis, turbatis crinibus euro
Nautae, pallentique Deos caelique marisque
Ore vocant; frustra sollers moderatur habenas
Navarchus; frustra, nunc nunc incumbite remis,
Vela negate euris, clamat. Jam puppibus altae
Concurrunt puppes; remi franguntur, et undis
Jactati feriunt naves; modo versus etrusca
Quassatae ventis rapiuntur litora pinus,
Sardonium versus modo pontum; has abripit unda
Cajetae ad ripas, illae jactantur ad oras
Corsidis. Ipse manu valida dux Sulmo rudentes
Laxat, vel tendit summo in discrimine, pubis
Erigit atque animos spe dulci laudis et auri;
Cum ceu mons vastus praeceps a vertice fluctus
Clamantemque ducem tegit, ingentemque carinam
Qua vehitur; parvo sed temporis intervallo

Digitized by Google

Ecce resurgit aquis exsultans naufraga puppis,
Nec cessat fortis vires dux addere turbis,
Quae impavidae certant praesentem evadere mortem.
Paulatim tandem ventorum praelia cessant,
Sese componunt fluctus, disjectaque classis
Aequore convertit proras ad litora volsca,
Atque omnis portu navis se colligit, artus
Ut renovans rursus ventis det vela vocatis.
Volscus at Haemonides celsas intraverat arces
Urbis anagninae, fulgenti et constitit aula;
Tum patribus claris circumque sedentibus infit:
Delecti, quorum manibus sunt hernica fata,
O proceres, Superi vobis natisque remotis
Hos miti populos dudum ditione tenere
Donent! Gens orat Volscûm, quorum usque fidele
Cor vobis, paullum mentes ad seria verba,
Urbis ad ingenium vertatis. Spicula dextra
Hunc populum circum spargentem cernitis ipsis
In cunis, et vicinas submittere gentes
Gaudentem. Pubes insurgit volsca, priusquam
Ille solo gradiens caput inter nubila condat;
Hinc Aequi, Ausonidae, Rutuli, populique latini
Foedere se jungunt, ne mox hic devoret ignis
Hesperiae populos, et demum forsitan orbem.
Arrident Superi coeptis, nam munere divûm
Marcius armipotens, it cujus gloria caelo,
Jam multas urbes prostravit, et impete martis
Concutit Aeneadum muros. Jam sorte vocante
Quae mens, quae ratio, quaenam prudentia vobis?
Expectare lubet, cum moenia vestra cruentus
Romanus scandet? Jungi nunc foedere tempus,
Nunc quas percipiant Italûm gens, tollere voces
Mittere nunc acies, argenti aurique talenta,
Nunc Romae fastus et celsos sternere muros
Ignibus et jaculis. Fugiens occasio, patres,

Ni rapiatur, equûm peditumque videbitis Urbis
Vim dites vestros populantem frugibus agros,
Quamprimum septem eversas a culmine turres,
Repletos arcus thermasque forumque ruinis;
Ereptas gazas, prostratam caede juventam,
Virgineasque manus servitum matribus ire
Romam; cernetis nullas superesse salutis
Spes, ac Oenotriam flentem per saecula victam.
Sic ait, et sonuit confusis vocibus aula;
Tunc ostro clarus meritis senioque verendus
Haec Fabius reddit: proles insignis Aletri
Haemonides ductor, patres quos aspicis, astra
Sese sublimi tacturos fronte putarent,
Jungere si tempus forti deposceret arma
Cum Volsco; memori semper sub corde geremus
Magnanimos gentis sensus, recolemus et usque
Ductoris Tulli mentem, clarumque per omnem
Ausoniam Caji gladium. Sed nolumus Urbis
Iras in nostros muros accendere iniquis
Ausis. Non bello violarunt nostra Quirites
Oppida, non famae, non campis damna per illos;
Nam cur tela manu stringemus crimine nullo
Vexati in populum, damni qui sumere poenas
Noscit, qui legum libertatisque tremendus
Assertor vindex post reges Urbe repulsos
Concipit, absolvit, variat, refugitque quietem,
Qui a damnis viresque novas animumque resumit?
Ne nos ad pugnas igitur compellite, quando
Non urgent belli causae, populique saluti est
Oppositum bellum. Sinimus tamen, emigret omnis
Qui cupiat contra Romam concurrere telis.
Nobilis haec fatus Fabius dat munera opima
Aeratum clypeum Haemonidi, binosque nitentes
Enses Marciadi magno Tulloque ferendos
Aurato càpulo; atque ducem dimittit honore,

Qui subiens aulam non mollia dicta ferebat
Patribus antiacis, aliosque accepit ab illis
Legatos eadem populorum verba tulisse.
Ast uti rectorem populi decet usque, Senatus
Romae inter belli strepitus, Volscûmque triumphos
Immemor haud pugnae conatus dirigit almam
Ad pacem, secumque agitat sub corde profundo
Insignes pietate viros, fandique peritos
Legare. At tecti scrutando pectora Marcì
Convertit primum mentem; tum mittitur acer
Appius ingenio venerandae ad tecta parentis
Marciadis. Patriae tunc perturbata severis
Fatis demulcens longas Veturia curas
Forte renarrabat virtutem et gesta Quiritum,
Et dulcis patriae sensim inspirabat amorem
Intentis Marcì pueris. Cum constitit ante
Illam turbatis oculis, et saeva sabinus
Fata pater pingens longos dat pectore questus,
Et stimulos matri subdit, contendat ad agmen
Nuncius ut volscum cursu, referatque parenti
Verba ducis; patrum necnon exorat et instat
Nomine. Tentari breviter Veturia vanis
Nisibus haec fatur; terrae tum lumina figit.
At cui longa fides dat multa et libera verba,
Illius inflammans animos hortatur, inustam
Deleat ut domui labem, nimiumque saluti
Prospiciens patriae male cauto protulit ore:
O si quo fato mortis rèvocatus ab umbris
Surgeret heic ingens Numa, clara e stirpe nepotem
In feritate ducis nosset? Caput erigit illa
His accensa super; tum flammea lumina torquens,
Si Numa, respondet, stygiis revocatus ab umbris
Surgeret, iste nepos non ornaretur honore
Consulis; an saevas imbellis dextra secures
Stringeret? Iste nepos socios si fulminat armis,

Impulit anne parens? Vos vos traxistis atroci
Invidia; fortem patria pietate calentem,
Assiduo belli duratum membra labore,
Donantem praedas etruscas, volsca, latina,
Aequa trophaea suis, reverentem jura Senatus,
Non auri ingluvie caecaque libidine victum,
Nullis insidiis doctum, non jussa deorum
Spernentem patriae peperit Veturia, talem
Instituitque virum. Tunc mulcens Appius iras
Cincta duci memorat civili tempora quercu,
Donatum forti Coriollae nomen ab Urbe.
Acrius insurgens contendit at illa relictum
Plebejis odiis natum, clarumque latronis
More ducem tractum tarpejae ad culmina cautis;
Tum demum patria pulsum, sanctissima jura
Polluta. Haec contra nil Appius hiscere; limen
Et tacito transit gressu Capitolia scandens,
Ut rigidae referat matris responsa, rogetque
Qua patrios muros haud sternat saeva procella.
Ast intenta sono Marci pulcherrima conjux
Iratas tacito versat sub pectore voces,
Quas contra natum Veturia jecerat ante,
Et cum prolatis pro nato comparat, uno
Haeret et obtutu; tum nequid triste lateret
Ambages inter trepidans sic ora resolvit;
Et quaerit curnam rapiatur motibus idem
Oppositis animus, saeva nunc ferveat ira,
Acriter et Marci patronos increpet; adstans
Pro forti nato nunc miro flagret amore.
Tum tumida ex ira generosae corda residunt
Socrus: quae poscis, paucis adverte docebo,
Haec nurui reddens curas e pectore vellit;
Non ita, non equidem mutatur, ut axe Diana,
Hic animus. Natum si spectem cuspide versa
In patriam, mea corda fremunt, Romaeque ruenti

In ferrum plaudunt. Audax si lingua reprendat
Ob gnati errorem; tunc indignata notari
Nostras labe domos, converto dedecus omne
In caput incautum, gentique ostendo latinae
Me non plebejo concretam sanguine; semper
Mater ego Marcì, semper Veturia. Quamquam
Canities requiem poscat, quassata procellis
Fortunae tamen haud iris mens frangitur, aequo
Respiciens mortem et vitam discrimine. Fata
Vix haec conticuit; fervens at laudis amore
Auditos imo volvit sub pectore sensus,
An si Marciadi referantur vota parentis,
Flectatur natus bellum componere. Tardos
Contra indignatur ductor se volvere soles,
Et nondum lucere diem, quo fulmine Martis
Prosternat clausos romanis moenibus hostes,
Ad quos orbandos sociis extrema sequestrae
Donec lux pacis surgat, victricibus armis
Murorum moles Coriollae cinxerat. Alto
Colle sedet latis fossis circumdata, fortis
Et virtute virûm vetus urbs contermina ad arva
Ardeatina; patent spatia ampla et florida prata
Circum, cujus arat campos asperrima belli
Gens studiis. Laevam Ausonì, qui milite lecto
Erupit demens portis, transfixerat hasta,
Et jam vagina eductum surgebat in ensem
Aequicolus. Flexo ille genu trepidusque gemebat,
Tendebatque manus: oro miserere senectae
Patris, et infaustis orto spem redde sub astris
Unam; magnanimo tibi sat victoria. Volvens
Lumina continuit dextram, miseransque jacentem
Erexit ductor patri natoque benignus.
Marcius ut turbo gladium rotat. Ocyus hostis
Terribilem noscit victorem, excussaque corde est
Virtus; turbato tremuerunt pectore cuncti;

Nam subit illius metuendae lucis imago,
Cum ferus irrumpens in portas ense cruento
Pro Roma pugnans implevit caede plateas
Cajus. At arrepto terrorum tempore victor
Irruit in portas, atque urbem milite complet.
Ocyus hinc belli nubem urget ad arva Poluscae;
Illa quidem pingues pecudes armentaque laeta
Enutrit non magna adeo, sed divite gleba
Frugiferae Cereri tellus, et amica Lyaeo.
Gens monita at fatis Coriollae, mitis olivae
Cincta caput ramis accepit limine portae
Marciadem gazasque ferens et robora pubis.
Magnanimo socios dux inclytus increpat ore,
Et prohibet dedita praedas avertere ab urbe,
Sanguine vel ferrum foedare; hinc corde benignos
Marcî animos grato gentes ad sidera tollunt.
Nec mora; volsca tuis adsunt sub moenibus arma,
Longula, nequidquam turres firmumque tuorum
Opponens pectus. Pius at de more, priusquam
Tela volent, Volscos hortatur: parcite claro
Romano socii; probitas, constantia, virtus
Pomponî, uxoris, nataeque hoc postulat. Infit;
Et simul horrendum increpuit tuba; protinus agmen
Irruit in portas. Ruptis ceu nubibus ignis
Undique victor ovans diffunditur. Inclytus armis
Marciadis voci parens ruit, increpat ultro
Aequicolus socios, quorum jam cuspide fixus
In dextri nervis brachii Pomponius ingens
Haud poterat tractans ferrum defendere vitam,
Solatusque ducem jubet intra tecta referri,
Stringier abstersum et tolli medicamine vulnus.
Interea caeso custode irrupit in arces
Turbidus Elpenor. Medio tecti aethere aperto
Armisonae signum divae surgebat et ara;
Heic summo copulata duci Tarpeja Minervae

Tendebat miseras voces et lumina, castas
Ne violent aedes Volsci, cui nata pudica
Juxta aderat, ceu stella micans, curisque levamen;
Virtutis tulerat multum generosa paternae
Virgo. Sed plenam tota ceu luce Dianam,
Ut videt Elpenor flagrans nova lumina formae,
Constitit attonitus; tum caeco incensus amore
Nititur apprendens intra penetralia castam
Pertrahere; at summa vi nata, parensque resistunt;
Et sese major virgo sic impetit hostem:
Stricto, Volsce, putas ferro expugnare pudorem
Virginis Aeneadum? Probro praeponere mortem
Scit virgo Aeneadum. Quae mentem insania versat?
His dictis juvenis villoso in pectore fervet
Ira; manu rigidum ferrum jam tollit ad auras.
At Veturiades, qui Volscûm forte furorem
Lenibat dictis, accurrens: quis furor? inquit;
Inspice Tarquinios pulsos, in bella ruentes
Romulidas, Tuscos, et sparsos caedibus agros
Unius ob furias Sexti, qui sanguine poenas
Persolvit; pudeat victorem in praelia volscas
Ducere te turmas, vincique cupidinis armis.
His mentem velans juvenis caligo fugatur;
Ora pudor pingit; redit in praecordia virtus.
Ast in tecta refert romanum vulnere laesum
Ductorem pietas sociorum; et brachia tendens
Amplexus conjux, manibusque dat oscula virgo,
Fundentes ambo lacrimas. Sed Marcius omnes
Solatus tollit patrum nataeque sub astra
Virtutem; curru ad patrias perducier aedes
Tum jubet, et comites equites persolvere honores
Praeclarae soboli, et patribus. Quae talia postquam
Conspexere acies, voces ad sidera tollunt,
Justitiamque ducis summi, curamque benignam
In miseros plausu, meritis et laudibus ornant.

Digitized by Google

Tum constans dux arma rapit victricia versus
Muros, quos inter vitam gens algida ducit.
Panditur interea Romae pulsata Capena,
Ingrediturque pater clarus cum conjuge, pulchra
Et nata; densi patres complexibus haerent
Ductori, populus quem magna voce salutat;
Et belli quaerit casus; fert ille Poluscae
Et Coriollae vim fractam, viresque Lavini,
Atque tuos frustra pinnatos, Longula, muros
Non volscas acies frenasse. Exaestuat ira
Multa movens animus populi; tum murmure vasto
Ora Fori subiens vocat alta voce Senatum:
Dele in Marciadem poenas. Ast ille colore
Obsistit vario votis, renuitque recludi
Cajo romanas ad vulgi murmura portas;
Tum Veturiadem concordi voce Tribuni
Compellant hostem patriae; non esse decorem
Foedandum Romae, fictas subnectere causas
Molirique moras, casses ac tendere plebi,
In quas incurrit citius quia nescia fraudis.

LIBER SEXTUS

ARGUMENTUM

Amata ob Graji victorias vehementer laetatur. Interea caesi juvenis corpus magno luctu ingreditur Antium, et Amata doloris impatiens sese mergit in mare. Marcius Algido superato laetus agnoscit avunculum Lentulum, et ejus filium; hinc expugnat Corbionem, ubi fulget Moenae, et Aequicoli virtus. Senatus Romae componit seditionem excitam a Tribunis liberans populum ab omni vectigali solvendo belli tempore, mittitque seniores, qui eum leniant; tum legatus Agrippa egreditur ad Tiburtinos rogandos, ut irruant armis in Volscos cum hi Romam oppugnaverint. Sacerdotum legatio Marcio decernitur. Lartius fert sententiam ut Pontifices Marcio mittantur. Agrippa refert Romae patribus Tiburtinorum responsum, non dari sibi facultatem, ut arma distrahant. Noctu Thyrrus invadit castra Volscorum; sed Ufens multis caesis reliquos fugat; hinc belli machinae renovantur. Cajus turmis Umbronis juvatus Tolerium vincit; Aequicolus vero Bolam ingreditur.

Interea dulcem claudendi pectore flammam
Impos, et ob palmas Graji virtute relatas
Curva petit gaudens resonantis litora ponti,
Virgineosque choros pulcherrima ducit Amata,
Et recubans Veneri sacrae sub tegmine myrti
Per citharae chordas digitos deflectit eburnos,
Dulci concentu ripas atque aethera mulcens;
Namque levem dextram errores per mille volutans
Ad medium nervos, supra, infra pollice tentat,
Indice et obliquat, removet; nunc icta coire
Fila jubet; dextram in spiras nunc complicat; arte
Nunc mutas haerere fides, nunc flere trementes

Imperat, atque inter vocum discrimina mille,
Dulcis ego Grajo, teneros dat pectore cantus,
Dulcis et ille mihi, quem pascit gloria. Nostri
Antiacae Graji palmas resonate puellae,
Atque deo similes vultus, et dicite pulchra
Arma. Redi. O niveam, poterit quae reddere nobis
Te, lucem! Remea; tua vox hac insonet aure;
Nam tua vox dulcis, facies et pulchra; redito
Hinnuleo similis; volucres mea vota referte
Dilecto venti. Sic virgo exhalat amorem,
Et citharae sonitus, motus, os, lumina, cantus
Laetitias animi referunt, atque illa beata
Ceu philomela modos flectit variatque; parentis
Atque puellarum pertentant gaudia pectus,
Undae auraeque silent. Hinc pulchrae surgere nimphae,
Et quatere alterno pede terram; ut circulus omnes
Vertere nunc sese manibus per mutua nexis,
Nunc bene sejunctae torto dare corpore motus,
Ad numerosque pedes agitare manusque canendo
Tulliadis laudes et dulcis nomen Amatae,
Conjugiique deum super hos celerare vocando.
Sed jam quae nuper victrici fronde ferebat
Praecinctum Grajum, ingentis praenuncia luctus
Fama patris matrisque domos et moenia complet;
Evolat e tectis mater discissa capillos
Exululans, magnisque vias clamoribus implet:
Ite mei veniens comitari ac cernere nati
Ad tristes corpus portas; properate frequentes
Antiaci populi. Quo vos ardebat amore
Grajus! Pugnavit, vicit, fuditque cruorem
Pro vobis Grajus. Jactabat talia mater;
Turba ruit Tullusque pater, facieque tumente
A fletu sponsa, heu! sponso viduata! Caterva
Moesta ferens Grajum crudeli morte peremptum
Jam modicum distat muris. Longo ordine Volsci

Incedunt, truncosque duces hostilibus armis
Indutos referunt et equos et tela cruenta,
Exuvias belli, loricamque aere rigentem,
Quae male protexit pectus, gladiumque fidelem
Atque hastam. Sed membra rubro velatus amictu
Sublimi formosus adhuc jacet ille feretro.
Lucifer ut fulget, quem contegit invida nubes;
Ceu frater sequitur germani funus, amaris
Sic senior rugosa rigans it fletibus ora
Anthaejus. Lugent muri; proceresque gementi
Ore vocant Grajum splendorem spemque Senatus;
Extinctum versis hastis miles gemit astrum
Belli; ceu fratrem rebusque levamen in arctis
Plebs juvenem deflet; nec solum personat aura
Moestorum gemitu, sed torvae vocibus irae,
Quod sit Volscorum fortunae in flore juventae
Ereptus. Tunsis tum vero ad sidera tollunt
Pectoribus gemitum, positum cum triste feretrum
Constitit in mediis portis, trepidusque jacentis
Ora super nati genitor procumbit et haeret;
Hinc via vix voci saevo laxata dolore est:
Heu! quantum columen Volscùm gens inclyta perdis,
Quantum clara domus Tulli! Nil addere cura,
Nec dare fert gemitus; obtutu at fixus in uno,
Fulmineis tactus ceu flammis attonitus stat;
Tum Volscùm pietas miserando subtrahit illum
Aspectu. At Graji hinc genitrix, hinc dulcis Amata
Ingentem certant lacrimis explere dolorem:
Nate, tuae requies et dulcis gloria matris,
Vulnere nate jaces! Cura et spes una parentum,
Atque tuae gentis potuisti linquere solas?
Ne quis ne Romae referat: jacet inclytus armis
Grajus; Roma ferox plaudens namque ore maligno
Illudet Volsco. Ast imo suspiria Amata
Corde trahens, dederasne tuae haec promissa puellae

Grai? Ubi noster amor? Sic ergo taeda jugalis
Funeris in flammas versa est? Haec fata loquelam
Abrupit, tremuitque, et circum torva retorsit
Lumina, si manibus rapiens immittere ferrum,
Atque statim tantos possit finire dolores.
At canos mater vellens sic ingemit: ergo
Haec tibi membra dedi laceranda, o nate, latrone
Romuleo? Ignarum cur inter tanta pericla,
Cur sine te puerum? Haecne mihi promissa dedisti,
Cum tibi tradebam natum, hospes? Limina Tulli
Proh! Coriollano nunquam reserata fuissent,
Aequoris immensi aut nos secrevisset abyssus!
Heu! nimium fidens jacuisti funere acerbo,
Infelix fili; extremum nec dicere verbum,
Nec matri licuit morientia cernere nati
Ora? Nimis vacua importunaque gloria in armis!
Funere venales lauri! Vox faucibus haeret
Sic fanti; trepidam famulae inter brachia tollunt,
Et referunt tecto. Miseris at casibus acta
Orat Amata necem, tenditque ad sidera palmas:
Summe parens hominum, infandi miserere doloris,
Praeclarum munus mihi mors; post funera saltem
Aeternum jungar Grajo. Vorat intus obortas
Cura ferox lacrimas vocemque. Levare dolorem
Solando verbis certant hinc optima mater,
Hinc canus genitor, miseramque ad tecta reducunt.
Illa solo figens oculos, longumque morata,
Multa putat secum servatque silentia; circum
Adsunt sollicitae famulae, tristesque parentes,
Atque nova tentant evellere corde dolores
Arte; nec incassum: non lumina torva videntur,
Et lacrimae incipiunt teneris arescere malis,
Nec gemitu pectus turget; trepida ora quiescunt;
Tum placido demum vultu sic leniter illa:
Hinc oro veniam, genitor venerandaque mater,

Cum caelo stellas oriens aurora fugabit,
Linquamus moestas sedes, murosque gementes,
Atque simul campos silvestria tecta petamus.
Auribus accipiunt laetis frontesque serenant
Auditis omnes, et dantes oscula natae
Respondent patres: tu praecipe, nosque sequemur.
Tunc virgo: Superi celebrare piacula nuper
Hanc dederunt mentem, finemque imponere curis.
Quare agite, o famuli; cras quinas ducite nobis
Agnas totque sues, tot nigros terga juvencos,
Quidquid et hisce sacris opus est. Tum cogite coetus
Virgineos ripas inter procul urbe remotas;
Tristia namque meo tollens altaria Grajo
Purpureos spargam flores, et pocula vini,
Et lac effundam pateris, animamque vocabo
Tulliadis magni manesque Acheronte remissos.
Sic ait; accipiunt omnes spem pectore curas
Deliciis ruris pellendas, multaque divis
Dona vovent, valeat si campis aegra puella;
Et celeres famuli linquentes limina currunt
Formosae campis dominae mandata ferentes.
Stellata interea nigris invecta quadrigis
Nox placida apparet caelo curisque levamen
Immittit somnos, urbisque oblita serenat
Pectora; sed Tulli celsas horror tenebrarum
Validius exagitat sedes; suspiria, luctus
Foeminei hinc rumpunt turbantque silentia noctis.
Concipiens animo furias at victa dolore
Corde feros sensus premit, et spem fronte serenat
Et placidis labiis ita fatur Amata: suavis
Ceu lenis zephyrus, cari vox vestra parentes
Jam nostro tumidos animo componere fluctus
Coepit, et exoriens sol (spes mihi certa) videbit
Me penitus laetam moestas adducere pompas
Ad campi requiem. Jam nunc requiescere fessam

A fletu sinite, et dulci vos membra levate
Somno, cum medium jam nox trajecerit axem
Cursu. Sic dicens sese incomitata recepit
In penetrale domus. Verbis ac arte puellae
Credita res; thalamo deponunt membra parentes
Defessi curis, famulorum et fida caterva,
Et requiem capiunt. At postquam ingressa cubile est
Virgo amens animo, inter tetra silentia noctis,
Acrius effervent saevae sub pectore curae.
Splendorem formae Graji mens vivida pingit,
Indomitum robur, palmas, generosaque facta,
Et pulchros juvenis mores sine labe, sibique
Laetitiam sine fine canit, si juncta fuisset
Virtuti tantae; tum vox horrenda sonare:
Te chaos immensum disjungit semper ab illo!
Ingemit et palmas tendens ita fatur Amata:
Omnes irarum me contra effundis habenas,
Juppiter, inque meum curarum depluis imbres
Pectus; me circum stygias lateque silentes
Obtendis tenebras rapto mihi lumine Graji,
Et sperare vetas ultra. Succumbo juventae
Robore succumbo, veluti radicibus arbos
Vulsa suis. Cur terrifico me lumine figis,
Dentibus atque fremis? Cur me genitricis ab alvo
Traxisti vitam largitus? Nulla furori
Nulla tuo requies? Vitam maculavimus anne
Aut ego seu justi, qui me genuere, parentes,
Flagitiis? Aris an non tibi semper honores
Impositi? Scelerum callem splendore rosisque
Eccur conspergis?... Sed quo me caeca furoris
Vis rapit? Heu! Caeli non rex, at Roma dolorum
Me pelago mergit. Poenas dabis, impia Roma,
Quae ferro insequeris volscam sine crimine gentem:
Vindictam Graji sanguis deposcit, et ensis
Marciadis vacuus vagina fulgurat; Urbis

Disjectas video moles avulsaque saxa
Saxis, et commixto undantem pulvere fumum.
Sic ait, impatiensque morae procurrit ad arcas,
Quae cari exuvias servabant pignus amoris,
Purpureisque locat thalamis; hinc denique sponsi
Extrahit effigiem gemitus dans corde profundo,
Et super incumbens et inhaerens oscula figit;
Paulo post surgens, pectus percussa decorum,
Flaventesque abscissa comas, fert lumina circum
Atque facis reputat nigrantem cernere lucem,
Semper sola sibi linqui, semperque videtur
Longas incomitata vias percurrere, sponsum
Et per speluncas imas perquirere; ponti
Murmure mox frenat gemitus, ac arrigit aures,
Atque audire putat voces, et verba gementis
Graji, pallentes et funere cernere vultus,
Nec non vulnus hians gremio. Tum pectus anhelum,
Atque horrens crinis, gelidusque it corpore sudor.
Virgo domus celsum, quo subter fluctuat aequor,
Ascendit culmen furiis incensa, jacitque
Has voces: inter tua brachia curro vocata;
Semper in Elysiis juncti, semperque beati,
Grai, ait; et gressus extremas urget ad oras
Tectorum, Grajum labens per inane deorsum,
Ah! miserum Grajum vocat os, dum mergitur alto;
Grajum flebiliter respondent litora circum.
Vocibus at genitrix notis subitoque fragore
Artubus intremuit totis, ac territa stratis
Prosilit, et gemitum novit praesaga mali mens;
Novit et ingemuit cum conjuge protinus Anxur:
Heu! tantum luctus jam corde verebar, amores
Cernens quos caecos lex nulla regebat! Uterque
In conclave ruunt, et Amatae, nomen Amatae
Ingeminant. Urbs excitur, plangore parentum
Tecta fremunt; moerens concurrit ad aequoris oras

Digitized by Google

Turba frequens taedis, ac summa prospicit unda
Apparere caput carum. Tum remige crebro
Circumeunt cymbae, atque pias fortuna coronat
Nautarum curas; miseros nam virginis artus
Ad litus referunt. Aspectu tollit acutos
Turba frequens gemitus: eheu! quam pallida membra!
Infelix quonam tua forma recessit Amata!
Quo mergis moërore domum! Sed dulce ferentes
Ulnis ancillae lacrimosae ad tecta reducunt
Pondus, ubi saevit delapsus ad ima parentum
Ossa dolor, veluti boreas cum perfurit alto,
Miscentur fluctus, nigrae attolluntur arenae.
Ast oriens Phoebus spargebat luce dolentem
Urbem; mandarat generosaque cura Senatus,
Divite supremi pompa ferrentur honores
Virginis ingrato cineri, belloque potentis
Sponsi. Jam subeunt vicino limina portae
E saltu muli celeri pede robora dorso
Et juvenes humeris ingenti mole gerentes
Truncos quisque suum, media jaciuntque platea.
Tristis fama volat; vicinis currit et agmen
E pagis, Antì subiens quod moenia celsa
Laetitiam secum confert urbisque recentes
Plausus cum vultu moesto sonituque doloris,
Et plorat miserasque vices hominumque labores.
Surgit ad astra rogus taedis ac ilice secta
Contextus. Funus cyparissi fronde coronant,
Intenduntque locum sertis. Fit plangor, inuncta
Cum tollunt oleis et flumine lota tepenti
Frigida membra toris, pretiosaque tegmina supra
Injiciunt, flammas miserandi et funeris arae
Aversi subdunt; fuso crateres olivo,
Thurea dona, dapes crepitante vorantur ab igne.
At gemitum reprimens, ut fortem condecet, astris
Fert oculos Tullus, funditque novissima verba:

Salvete aeternum virtutis sede beata
Vitae immortales, iterumque iterumque valete!
Omnibus ex oculis lacrimarum largior imber
Depluit his dictis. Cineres et candida demum
Ossa legunt, rubeoque prius conspersa lyaeo
Aere cavo condunt. Non longe a littore collis
Surgebat campos et late caerula spectans;
Hunc super extollunt ingenti mole sepulchrum
Imposito fido gladio galeaque nitenti,
Et super insculpunt candenti marmore verba,
Quae legat attonitus Thyrrenum navita findens,
Ac italas urbes perlustrans advena: Grajus
Lavini caesus victor, qui morte hymenaeos
Mutavit, saevo mersae moerore sub undis
Heic inter lacrimas Volscûm conjunctus Amatae.
Et jam surgebat tristi caligine Phoebus,
Agminis et ductor linquebat moenia moesta
Anthaejus remeans ad pugnas. Inclytus armis
Marcius instabat conjunctas foedere Romae
Sternendo gentes, et jam deleverat arma
Quae tibi suppetias, gens algida, turbine belli
Corbio mittebat. Vasti medio aequore campi
Se tollit muris turritis algida tellus,
Agricolas cujus delectat in horrea messis
Foecundo devecta solo, generosaque Bacchi
Munera, et errantes nivei per prata juvenci;
Ipsi ad vicinas agrorum dona ferendo
Urbes, aere gravem referunt ad limina dextram,
Et toti incumbunt opibus. Vix concutit ergo
Armorum turbo muros, dux Mutius ortus
Sanguine romuleo socios hortatur, et hastas
Fulmineae nubi par vibrans moenia circum
Currit, quo irrumpit major vis hostis, et ardet
Aut urbem sociam servare, aut fundere vitam.
Ast illi, quorum franguntur pectora turpi

Cura aeris, rapiat ne gazas miles avarus,
Se hortantur trepidi, ponunt et spicula dextris
Linquentes muros, et portas hostibus ultro
Pandunt. Indigna haec torvo dux lumine cernit
Et clamat: segnes! oculos ad sidera tollens,
Horrendumque fremens: rotat attamen acrius ensem
Nominis Aeneadum memor, et virtutis avitae
In densos hostes ingressos moenia; septus
Ceu leo venantum turba, quem conscia virtus
Terga dare haud patitur, rigidis huic unguibus alvum
Dilaniat, jugulum discerpit dentibus illi,
Vulnera dant animos. Celerans at Marcius ingens
Opportunus adest, prohibetque a caede phalanges,
Agnoscitque virum, duris qui rebus amicus
Manserat, atque ducem incolumem ad sua tecta remittit.
Jam patrium carmen modulans epulisque refecta
Algida tecta cohors clypeata reliquerat inter
Silvas Corbionis tendens ad moenia. Magno
Ecce autem ante ducem Volsci clamore trahebant
Captivum claro Fabiae cognomine gentis
Gestantem dorso defessum aetate parentem,
Quorum majestas sine fastu, atque aspera fata
Obsequium mandant animis hostilibus. Acer
Cum dulci fuerat juvenis genitore secutus
Fratrem, quem pugnis suetum sapientia patrum,
Celsa tuis tectis inimica ut pelleret arma,
Corbio, praemisit. Vix algida moenia supra
Volscorum ille videt signum, victricia tela
Versa in Corbionem, saevus circumstetit horror,
Obstupet; occurrit cari genitoris imago;
Incanum, genibus titubantem, terga recurvum
Impositum dorso patrem mox moenibus effert
(Annuit armipotens frater); sed pondera sacra
Dum silvis condit, densos incurrit in hostes;
Nec sibi, sed patri pavitat. Cum lumina dextramque

Hinc procul intendens: agnosco, Lentulus inquit,
Romanos vultus, optata atque ora nepotis
Cernere fas iterum, fas pectore fundere dudum
Conceptos sensus; Erebi nunc laetus ad umbras
Descendam. Dictis acies mirantur et haerent,
Et modo defigunt captis, modo lumina Cajo.
At Veturiadis pectus pietate repletur,
Et ducis ore gravi jucundum lumen amoris
Erumpit; dextram tendit fitque obvius illis:
Non equidem vultus hostiles cernitis, inquit;
Nosco, et complector junctum mihi sanguine utrumque,
Namque, senex generose, tibi Veturia magna
Est germana soror. Sed nil his tendere contra
Illi; jamque senex flammantia lumina Romae
Vertebat, moestae ceu matri filius. Acer
Illius intuitus cito voces audiit imo
Pectore dux Volscûm, et pietas corda ussit; at ira
Sub specie recti libertatisque latinae
Nascentem pressit. Grandaevi hinc ante loquelam
Consulto effatur: quo ducunt fata sequamur,
Praecipitate moras. Illis tum munera mandat
Arma et equos ferri celerans ad bella cruenta,
Atque sui juris, non laetos corde relinquit.
Tum scandit rupes, in quarum vertice surgit
Corbio, terra quidem rapidis haud apta quadrigis,
Nec sterilis tamen est; quamvis ingentia plano
Haud pateat per prata solo, cum foenore semen
Reddit; fert Bacchi latices, atque educat altas
Silvas et virides dumos, et bobus alendis
Aptaque caprigeno pecori est. Gens aspera bello
Acriter in Volscum pugnat. Dux doctus in armis
Aequicolo et fido Moenae jubet ocyus ire
Obscurum silvae per iter, mox moenia celsa
Agminibus quatere ad boream, postquam ipse maniplis
Coepit ad australes oras evertere muros.

Illi alacres properant; hinc fit simul impetus atque hinc;
Urbs subito correpta metu jacit horrida Martis
Arma manu; portae panduntur; Cajus ovantes
Arce acies cogit media, praeclara trophaea,
Et gazae ingentes volscas mittuntur ad urbes.
Hinc alacer sociis os vertens: fortis adurge
Agmen, Frento, tuum, et Volsco Vitellia pandat
Portas. Arma Pedum contra fer protinus, acer
Silvi, cum reliquis muros pulsabo Labyci.
Sic ait; inque suum callem jam quisque volabat.
Ast in lata Fori Cossus, mens truxque tribuni
Agmen, cui sociam sese plebs addidit ima
E turbis lucrum captans, adduxerat; arma
Sublatis manibus poscuntur, limen apertum,
Incursus contra Volscos, et praelia campis.
Tum vero resonant patrum generosa per Urbem
Verba, premat nullum bello flagrante tributum
Mavortis populum; patriae nam grande rependit
Vectigal natos educens, mente manuque
Tecturos olim patriam. Quoque spargitur agmen
Ardentes inter turbas aetate verendum,
Jucundum plebi placido sic ore locutum:
Quae mens, quis furor est, Latii spes una decusque?
Vos temere densi patrum, ceu nimbus, in aulam
Tollentesque minas? An non est cura Senatus,
Quae vos muneribus magnis splendoreque vestit?
Amplius haud estis populi flos ille latini,
Cujus mira sonat cunctis patientia et altum
Consilium terris? Jam saevam ponite mentem,
Sit sacra nobilitas, ingentis corporis Urbis
Grande caput, commenta rogo memoretis Agrippae;
Vos artus patriae; scindit discordia et armat
In caput immeritum; felix concordia jungat
Artus praeclaro capiti, per saeclaque vivet
Patria. Sic senior pars interfusa frementes

Turbas ore refert; et qua ratione procellam
Aethere conglomerat nigranti turbidus auster,
Undique jam tonitru mugit, fulmenque coruscat,
At molli pluma aura volans et flamine leni
Pellit aquosam hyemem sensim, et cava nubila caelo;
Haud aliter populos mulcet vultusque serenat
Seditione atros constans sapientia patrum;
Tum gressus vertunt tarpeja ad templa Tonantis.
Implerant sedes vario sermone serentes
Multa inter sese patres; tum conticet aula,
Nautiacaeque sonant voces, quae pluribus instant
Ut citius Romam latialia tela vocentur
Quae pellant muris hostem; primumque catervae
Tiburtes, steterunt quae sumptis saepius armis
Pro Roma. Clari contra panduntur at ora
Posthumii, et patrum quorum cor gloria tangit
Urbis; tum generosa sonant responsa per auras,
Communem matrem sola virtute tuendam
Prolis, et ad muros gladios satis esse Quiritum;
In melius dictum convertens Consulis aula
Tiburtinorum legatum mittit ad urbem
Agrippam clarum bellis ac annulo equestri,
Hortantem, cogant aciem, Volscùmque repente
Distractas vires (si quando turbine belli
Invadant Romam) duplici certamine frangant.
Has inter voces incerto lumina corde
Circum volvebat Furius, num panderet ora,
Pectore seu tegeret sensus; at dicere demum
Est alternanti potior sententia visa:
Quisque oculis lustrat, trepidet quo turbine pulsa
Sors Urbis; quaenam clades foeda ingruat; instent
Moenibus ut Volsci victores. Pellere pestem
Non impar populi robur, constantia, qui rex
Terrarum nasci legum latorque videtur;
Ast sicut cautes stat contra, propositoque

Haeret, conflictus refugit, voce instat et urget
(Has arces clamor circumsonat), lege revisat
Clarus ut hos exul muros; vis nulla moveret
Hoc animo populum. Sed pars ita murmurat aulae:
Pulcher mos veterum nil cedier hoste premente
Mandat. Non probro dignos hos ultro fatemur
Mores, si pariant ingentia commoda genti,
Aut spem non vacuam. Si vero valdius istis
Moribus haeremus, multos dominata per annos
Urbs antiqua ruet. Gentis jubet illa salutem
Lex innata viris, imoque in pectore scripta,
Quae regis fastus nocturnaque crimina Sexti
Et Metii fraudes damnabat, Roma priusquam
Ad poenam raperet; lex a qua jussa Senatus
Aut populi nos non solvunt, quae dispare saeclo
Sive loco minime mutatur, nescia finis,
Sancta, regens hominum genus omne, et filia legis
Aeternae, cui non parens se sponte lacessit,
Torquebitque suum fraudis mens conscia pectus.
Una salus ergo populi spectetur, et aurem
Huic legi, excelsi patres, aperite; vetustas
Delete exilii leges, et lege recenti
Incolumes, fortes, laetos servate Quirites.
Ast in patronos populi lethalibus iris,
Ac in Marciadem constanti exustus amore
Appius: ut saevos noscatis pellere nimbos
A Latio, fatur, patres inquirere belli
Semina debetis. Jam mentibus ordine facta
Si revocare lubet, cunctas cernetis oriri
Fraude tribunorum clades. Manavit ab illa
Contra Marciadem populi gravis ira tumultus,
Insontem patrem rapiens ad limina mortis
Tarpejo in saxo; rursus defluxit iisdem
Fontibus expellens Latii lex finibus acrem
Ductorem Roma dignum; modo prodit ab illis

Quotidie juvenum crescens audacia, fastus
Indociles, animi livor, turbaeque frequentes,
Omne nefas demum, ut semper discordia regnet
Romae, et pars poscat pacem, pars bella. Profecto
Turba tribunorum civilis machina belli
Funeribus Latium incestans et luctibus Urbem,
Legum contemptrix et patrum; sanguine foedum,
Eruptum saevo monstrum furiarum ex antro
Incautam sternet quamprimum a culmine Romam.
Nam vestrae, patres, mentis sapientia cernit,
Non vulgo, at summum donatum a patre deorum
Imperium nobis, virtuti praemia praebens
Et scelus excrucians poenis et morte coercens;
Ex aegris jus non manans mortalibus, almum
Qui vitae lumen nequeunt afferre cuiquam;
Ast oriens caeli supremo a rege, tributum
Principibus patribus, qui mundi fata gubernant,
Ad commune bonum; summo quo jure cadente
Haud equidem stabunt nec res romana, nec ulla
Regna. Tribunatum primo spectastis ab ortu
Non ceu tutorem populorum jura tuentem,
Non jam versantem curas sub pectore, puri
Florescant mores, et pax, ac aurea pacis
Munera; perpetuo sed nisu tendere ad unum,
In patrum leges ut suscitet usque tumultus,
Non assentantes ut cives funere mergat,
Saepius et plateas civili sanguine foedet;
Ut demum patribus rapiatur summa potestas,
Cum patribusque ruat subito gens romula. Namque
Conditor, assertor legum, bellique magister,
Imperiique caput vis est et vita Senatus,
Quo jacet extincto corpus civile, resolvit
Semet et in partes. Labenti nulla salutis
Nulla super patria spes est, nisi munere legis,
Quam Romae decus a vobis et vita salusque

Expetit, infandi exilii decreta, tribuni
Munus et infaustum tollatis. Lumina figit
Ausonia in vobis, austeraque nuncia veri
Historia, ut noscat, num vestrum lumine spargat,
Umbra seu probri nomen per saecula. Sanctae
Eja cito legis resonent oracla per orbem,
Insonti patriamque suosque et munera reddant,
Infandosque premant hostes, Romamque reservent.
Personuit vario sermone his vocibus aula;
Talia reddebant hinc ora benigna Minucî,
Qui populum patris complectebatur amore:
Indignum facinus, patres, auferre tributum
Romulidis nuper munus, pacisque recentis
Pignus, plebs postquam in montes irata recessit.
Insuper Aeneadis haec esset taeda nefasta
Funestos pariens ignes. Civilia bella
Fors inflammaret: vulgi iracundia forsan,
Cum densas poscit patriae defensio turbas,
Auderet sacros iterum conscendere colles,
Forsan Marciadis, quem reddi clamat in Urbem,
Armis romanas auderet pandere portas.
Nunc demulcendus, non irritandus ad iram
Trojugenum populus. Nec quisquam mente volutet,
Armorum volsca ne tempestate ruente
Ignavis casus oculis patriaeque ruinam
Aspectet. Quando pro Regibus arma superbis
Triginta populi sumpserunt, bella refugit
Sic pariter vulgus. Sed firmus ad arma rebelles
Dictator flexit mentes; concussit et hastam
Vix Urbs, omnis eo terrore Etruria primum,
Hinc omnes trepidi vertebant terga Sabini.
Quidve dies memorem, quando simul omne tumultu
Infremuit nuper Latium; vibrare sed arma
Malebat populus media sceleratus in Urbe
In cives pugnans, quam deturbare Latinos

Ferro? Dictator graviter vix ora resolvit,
Conticuere omnes, mox erupere cohortes
Portis, et Latium caesum; rubet unda Regilli
Sanguine adhuc, ripaeque inhumatis ossibus albent.
Plura quid? Aeternam Romanus proteget urbem:
Ungue leo tectum, rostro speciosa columba
Servat; naturae generosas fortius audit
Trojugena has voces, praeclaraque facta loquuntur,
Ipse colit patriam et patres, nec deseret unquam,
Si volscus jugulis ipsorum impendeat ensis.
Hinc semper constans praeponet curia justas
Pugnas dedecori; nec leges turpiter armis
Territa delebit. Jam bello multa talenta,
Arma, duces, pubes sunt praesto. Pacis apertus
At superest aditus; nam quis tentare vetabit,
Ut belli horrendae longe pellantur ab Urbe
Clades, ne in praeceps romano sanguine cretus,
Atque aulae patrum splendor ruat inclytus exul?
Ad Cajum gressus, quorum caput infula cingit,
Vertant, et pacem, sed sospite gentis honore,
Facundis tractent linguis, sermoque per aures
Attentas ibit fors Marcì. Hinc Lartius addit:
Immemor haud donùm, quae accepit ab exule, Roma
Jam summos mittat patres, Superùmque ministros;
Sit cor sitque manus sed prompta repellere vim vi,
Si non exorata premit violentia fati.
Posthumius dubias mentes splendore serenat
Consilii, ut generosa senum consulta sequantur:
Quis Veturiadem studiis non censeat aulae
Dignum, qui vestris pro natis, aedibus, Urbe
Arripuit gladium toties, et sanguine multo
Artus perfudit? Qui semper tempora serto
Ornatus rediit, sibi nec quid sumpsit opimae
Pràedae, sed patriae dono dedit? Impiger, audax
Hac patria dignus dux et pater; extulit illum

Laudibus in castris mea vox, nunc tollit et aula;
Arguet an quisquam me, quod ferat exul in Urbem
Arma? Quid erroris delet benefacta? Quis omni
Labe carens? Et nunc resonant dum praelia pagis,
An non victoris parcit clementia caedi,
Ad lunae cursum non differt arma movere
In Romam, multumque ducum circaeaque turba
Donantur patriae, multumque refertur honoris
Legatis? Larti dignus sic clamat amicus;
Atque statim Julus, Pinarius, Aulus et agmen
Assensu assequitur; solemni hinc mittere pompa
Sacrorum statuunt cultores tegmine picto
Ornatos, patriae ut curent decus atque salutem.
Interea claros celerans Agrippa subibat
Muros, quos inter trebanis montibus ortus
It praeceps Anio spumans et personat urbem,
Ac super undarum lapsus Thaumantidos arcus
Pinguntur. Postquam Tiburtum fatus in aula est
Nuncius Aeneadum, meritis annisque verendus
Dux ita Catillus: Volscûm vix arma sonare
Coeperunt, an funesto jacuisse veterno
Hanc reputas urbem? Firmantur moenia, cives
Tela manu rapiunt, portas subit effera pubes,
Quam mons Ereti mittunt, campique Fidenae,
Saxula, Corniculum, rugosus frigore pagus
Mandela, et plures vici. Circumspice; saevum
Undique martis opus fervet. Praeclara secutus
Romulidum semper Tibur vexilla, libenter
Mitteret e muris armatae robora pubis
Ad votum patrum. Si vero verteret iras
Volscus in has arces, junctis tegeremur ab hoste
Vix armis; vires disjungas, victor utrasque
Confringet Volscus. Quare non urgeat urbem
Hanc Roma ad vanos nisus, servetque fidelem
Usque sibi. Martis non Urbs his indiget armis;

More suo pugnet; certa est victoria; Roma
Seu vi fatorum, ignoto seu numine nullis
Victa cadet bellis; nam Romam gloria ducit,
Orbem Roma reget. Fantem miratus Agrippa,
Catilli sensus referebat patribus altis,
Qui celsam mentem ducis et cor ad astra ferebat.
Jam tardo medium curru confecerat orbem
Nox autumnalis. Non longe a moenibus altis
Volscûm castra silent; acies interque jacentes
Dux Ufens somnum proflat de pectore. Torvo
Improvisus adest ad vallum lumine Thyrrus
Arma manu flammasque gerens; atque agmen agreste
Falcibus et duris sudibus saevaque securi
Armatum, tacitum vallos conscendit, et ignes
Conjicit in belli moles. Thyrrusque trucidat
Depressos animis vigiles immane bipennem
Vibrans: falce premunt socii sudibusque praeustis
E vulgo multos; foedantur tela cerebro
Sanguine commixto; trunci dispersaque terra
Membra jacent; ululatibus augetur morientium
Horror nocturnus. Fidentes jamque ruebant
In penetrale ducis. Strepitu commotus at Ufens
Egressus tolli flammas, sociosque cubantes
Caedi, atque armatos in castris cernit agrestes:
Hostis adest, inquit, vagina et diripit ensem
Intrepidus ductor; sed clamans primus in illum
Intorquet jaculum Thyrrus, quod transiit aera
Scuti et loricae, summos et vulnerat armos
Ductoris. Gladio tum fervidus irruit Ufens,
Dilaceratque ferens lethum intus condita cuspis
Spiramenta animae. Propere coit omnis in unum
Volscus; at agrestes duri vestigia retro
Improperata ferunt; vitam pars sanguine fundit,
Pars aperire fores celso et descendere vallo,
Pars ruere in fossas fractis cervicibus. Acer

Digitized by Google

Tum vertit ductor curas, ut flamma dometur,
Et gelidas undas manibus prior injicit, agmen
Certatim hinc terrae corbes fontemque liquentem
Advehit; increpitant ignes; it teter ad auras
Fumus; pars trabium nondum combusta securi
Dividitur; mediis a prunis robora vellunt;
Nec mora nec requies, donec Pallantidos ortu
Indomitas ponunt flammae atque incendia vires;
Hinc se certatim hortantes dant gutture cantus,
Stridentique secant serra, clavoque trabali
Iliceos truncos, et robora dura cupressus
Jungunt, belligeras ut tollant denuo moles.
Marcius at famae immenso combustus amore
In tolerinas rapiebat strenuus arces
Agmen; et Umbronis turmis gladioque juvatus
Intrabat victor muros. Exurgit in altis
Collibus urbs fossa et solido circumdata muro
A forti populo, cujus cor flagrat amore
Bellisonae famae; sed dulcis tempore pacis
Pauperiem dapibus jejunam pascere gaudet;
Huic Bolae nomen, quae non procul arva videbat
Romulidum, imparibusque retro speraverat armis
Vertendam Volscûm fortunam: immitte maniplos
Ocyus in muros bolanos, Marcius acri
Aequicolo fatur; ventis ruit ocyor ille
Cum lectis sociis. Magno concurritur aestu;
Sed frustra bolana manus: nam vulnere plures
Aut vitam linquunt, aut sese ad tecta reducunt.
Hinc intrat laeto Volscus pede limina; forti
Aequicolo donat, cuncta spectante cohorte,
Aurato capulo generosus Marcius ensem;
Agmina dant plausum; succenditur aemula virtus.



LIBER SEPTIMUS

ARGUMENTUM

Priscus dux Vitelliae Romam remeans refert eam urbem et alia oppida victa esse. Quare Cossus majori exardens ira disponit conjuratos ad egrediendum Roma noctu, vix Coriolanus pervenerit in tentoria. Marcius autem sacro facto in monte albano portas ingreditur castrorum, et belli machinas spectat, et laudat. Volsci mirantur agri romani culturam; tum injuriarum memores valde irascuntur. Romani sacerdotes sacris peractis ad Coriolanum veniunt, ubi Virginius Cajum alloquitur; sed hic proposito haerens nihil concedit, et Pontifices muneribus auctos dimittit. Eorum reditu oppositis Roma studiis dividitur. Nocte surgente Cajus comitante Voluso adit suum pastorem Faustum, qui herum tandem agnoscens singularem ei benevolentiam testatur; tum Marcius cum Voluso redit ad socios.

Tu quoque nequidquam obsistis, Vitellia, Volsco,
Ejectusque tuis muris victore Dolone
Regreditur Romam Priscus, tua tristia narrans
Fata, et Frentonis domitum virtute Labycum
Magnanimum, gnavum, camporum ac ubere laetum.
Tum dira ductor transfixus pectora cura
Prosequitur Priscus: straverunt Italus asper
Elpenorque Pedum, celsas Sulmonis et arces,
Romuleique duces caesi; perterrita multa
Oppida victori recludunt limina; saevo
Marciades vultu Latii per castra per agros
Errat; ductoris vallos Ufentis et intra
Multa caede solum contectum, et sanguine Thyrri
Ac turbae agrestis. Concussam fama per Urbem
Insuper ut tonitru resonat remeare superbum

Digitized by Google

Marciadem palmis. Populus jam fervet ut aequor,
Et pars deterior vulgi, levitasque catervae
Foemineae voces tollunt, durumque Senatus
Insimulant animum, quod nondum deleat acre
Decretum, reddatque petitos Urbis honores
Extorri Cajo. Sed constans curia plebis
Cum flore insanis haud praebet vocibus aurem,
Et bellis instat, sociorum funera quamvis
Ejus cor vexent ira, et pietate; virilem
Nec morem ponit quaerendi tempus et artes,
Unde domet gentes, victo dominetur et orbi.
At Veturiadis reditum mentemque superbam
Auribus accipiens Cossus, jam tempus adesse
Consiliis aptum reputans exultat, et intrat
Aemilii limen fratris; jubet arte ciere
Muneris et linguae tractabile vulgus in hostes.
Non minus ille furens tota cum fratre vagatur
Urbe; inter noctis tenebras prope Tibridis undas
Secretis turbas ripis, ubi multa latebant
Arma parata, truces cogunt; tum voce tonanti
Conceptas iras depromit Cossus, et Urbem
Jam jam lapsuram pingit patribusque relictam;
Orat succurrant, et contra turpe Senatus
Decretum portis erumpant; praesto tribuni
Adfore subsidium generosum; tempus oriri
Hostem vincendi multo certamine lapsum;
Hortatur, vix intrarit tentoria Volscus,
Protecti gladiis et dono noctis opacae
Diripiant, feriant, invadant castra sepulta
Somno. Sic ardens ait, immisitque furorem
Cunctis pectoribus, certatim tela frementes
Tela manu rapiunt turbae; tacitusque recedit,
Et densa noctis coetus se miscuit umbra.
At ceu nativo scopulo digressus apertis
Eridanus campis errans rex magnus aquarum

Digitized by Google

Ausoniae ad fluctus Adriae volat aequoris instar,
Sic peragrat Latium populorum viribus auctus
Marciades. Nondum spargebat lumine terras
Orta dies, socios cum victor ducit ovantes
Albani montis celsa ad fastigia. Flamma
Fulminis atque frequens fragor omnia corda latina
Caeco replerat dudum terrore; superbus
Rex Romanorum celso sacraverat illic
Caelicolum regi vastis sublime columnis
Delubrum, Latii quo junctae foedere gentes
Se se cogebant hilares ad festa; togatus
Culmina scandebat, cum munus consul inibat,
Hostibus et domitis praecinctus tempora lauro
Ductor. Volscorum postquam tetigere cohortes
Sacratum limen, summo votiva deorum
Patri dona ferunt clypeos, galeasque comantes,
Et gladios auro nitidos. Stans ante calentes
Marcius armipotens aras insigne trophaeum
Consecrat, ac tendens palmas et lumina vanis
Divis, immensas memori de pectore grates
Reddit, et ut belli resplendeat exitus orat,
Principium veluti fulsit. Tum corde profundo
Multa putans effert e sacro limine gressus;
Mille statim voces resonant et mille salutant
Ora ducem, tumulo qui stans haec pectore fundit:
Maxima res effecta, viri; namque orbe dierum
Exiguo Romae sociorum robur opesque
Ereptae. Superest belli caput. Arma movendi,
Quod fuit in votis, vobis modo tempus in Urbem,
Quae frustra solidos muros opponet et arces.
Utque supra reliquos colles se tollit ad astra
Hic mons, ad caelum sic ibit gloria Volscûm;
Hocque brevi limen scandemus denuo, laetum
Infractoque jugo Latium nos omne sequetur,
Et centum tauros memorando sole feremus.

Digitized by Google

Clamorem tollunt acies, vocemque remittunt
Vicini colles. Invadunt protinus olli
Declives montis calles, variisque teguntur
Arboribus, longis circum juga flexibus errant,
Ac inter ramos hastae galeaeque coruscant;
Quadrupedum, peditùm pulsu, bellique superbo
Carmine mons ingens circumsonat. Agmen adurget
Marcius, ac Urbem praeter nil corde volutat;
Sed memor armorum, quae Roma per abdita campi
Condens incautum Porsennam oppresserat, agri
Per latum tectos equites levioribus armis
Mittebat celerans, quibus explorare Togatûm
Insidias labor. E tenebris ceu Lucifer ortus,
Agmine stipatus remeabat Marcius, unde
Exierat probris laceratus, solus, iniqua
Pulsus ab Urbe procul; Volscûmque afflata supremi
Ductoris virtute cohors intrabat in arces
Victrix, quas liquit bellorum turbine pulsa.
Sic sapiens orbis rector vel plausibus implet,
Tristibus aut curis humanae tempora vitae,
Aut sua dona ferens virtuti, aut crimina plectens.
Jamque per ausonias urbes resonare triumphi
Volscorum; sepire viaś Rutuli ordine longo
Spectaturi acies victrices; hernica turba
Egrediens muris romana ad rura volare;
Se Praenestini pagis effundere; in alto
Colle avide Albani speculari; gensque sabina
Pro consanguinea Roma procurrere pallens.
At Divis laetas tuscus rex tendere palmas,
Et pingues tauros, et thurea munera ferre,
Ut reges invisa fugans belloque superba
Urbs ruat, atque solo fumantia moenia linquat,
Eluat et poenis infandae crimina caedis,
Tarquinium pulsum cum Romam Tuscia ferret.
Festa manus celerat; non illam rauca fluenta,

Non scopuli immanes, non horrida silva retardant;
Ceu quando exsuperans ripas pluvialibus auctum
Flumen aquis properat, nil audet sistere cursus.
Unus habet cunctos adeundi pulchra pericla,
Unus amor scalis superandi moenia Romae.
Molli dux freno cursus regit. Aureus orbem
Lustrabat medium radiis sol; ecce repente
Celsa super colles exsurgens Roma videri,
Roma invisa manu monstrari, Roma vocari
Horrisono fremitu. Cum primum prospicit Urbem
Et notas auras adspirat quatuor annis
Marciades lapsis, patriae pietatis imago
Pectora perstrinxit, lacrimaeque per ora volutae,
Atque dedit gemitum. Verum indignatus, apertis
Quod nullus campis hostilis fulserit ensis,
Multa movens animo cursum ad tentoria vertit.
Jamque acies tollit laetas ad sidera voces,
Et ruit e castris, nec non plaudentia jungit
Agmina cum sociis victorum luce coruscis.
Impiger at circum convertens lumina ductor
Terribiles moles ad belli commoda quaerit;
Tunc alacer medio demonstrat in aequore campi
Erectas ductor nursinus; singula doctis
Luminibus Cajus cristatus lustrat, et acre
Ufentis laudat studium. Tum fessa caterva
Quadrupedes largo abjungunt sudore madentes,
Dehinc celsos juxta currus allata revinctis
Pabula subjiciunt. Secti jam roboris ingens
Copia congesta; it vento sublatus ad auras
Nidor; pars jugulat pecudes raptosque Latinis
Cornigera pingues surgentes fronte juvencos;
Subjiciunt alii prunas, torrentque trementes
Artus, et cereale solum campestribus augent
Pomis laeti animis, et parta laude superbi.
Discreti ordinibus tum spargunt membra per herbam,

Consumunt mensas, et vina liquentia fundunt,
Ad caelumque ferunt resonanti carmine Marcî
Laudes, quod virtus invicta, scientia in armis,
Ac magnum nomen, nec non fortuna secunda
Ornent praeclarum. Postquam compressus edendi
Ardor, fusa solo jacuerunt membra, refectae
Agminis et vires; tumulos hinc acta videndi
Pars studio ascendit, praesepia sparsa per agros
Ad medium conversa diem miratur; in arvis
Mille greges pingues ovium, prope Tibridis undas
Et liquidos fontes simas errare capellas
Duros carpentes dumos, et amara salicta,
Innumeros mugire boves validosque juvencos,
Armenta in pastus acri contendere equorum
Hinnitu, atque pedum pulsu procul arva sonare.
Vomere prospectat sulcatos undique campos,
Et patulas pomos, positas atque ordine vites,
Et super apricos ornatas surgere colles
Purpureis oleas baccis. Miratur et ipsos
Intrepidos cives agresti instare labore
In volscas acies vertentes lumina torva,
Victricique manu validum vibrare bidentem,
Sive boves stimulo tardas agitare, vel agros
Effoetos satiare fimo, atque incumbere tutos
Immensi ad cultum campi, quem temporis ira
Horrentem nunc obducunt spineta. Sed alto
Constitit hostilis perculsa stupore juventus.
Ante Urbem, cujus nomen pervaserat omnem
Ausoniam. Solido surgentia moenia saxo,
Undarum vasti ductus, et culmina Divis
Sacra, et Janiculi turres, arcusque columnaeque
Ingentes, tarpejae arces, ac templa Tonantis,
Agger Tarquinii roseum mirandus ad ortum,
Productae in longum moles, et circulus ingens
Romanis limes caelis, ingentia cuncta

Extra se rapiunt Volscum : superadditur ipsa
In luce atque aura species mollissima , quaedam
Tibridis in fluxu gravitas , in collibus alma
Majestas ; oculis circum undique signa micare
Imperii attoniti prospectant. Urbis imago
Turbatas autem factorum dira reducit
In mentes. Torvus sociis ita Silvius : atrox
Heic genus illorum , qui nostrûm caede parentum
Foedavere manus. Iram quis comprimet Appî
Horrendas memorans clades ? Sic Frento fremebat;
In volscos pueros tercentum voce ferocis
Tollebat ferrum lictor , miserique gemebant :
Caedimur innocui. Heic illi cecidere rosarum
Ceu flores pueri ; vivit tamen ille superbus ,
Vivit et insultat. Refricat dehinc Umbro recentes
Plagas: opprobrium nam quid memorare vetustum?
Insidias haud longinquas et crimen abunde est ,
Quo Volscum ad pompam ludorum Roma vocabat.
Aure sonant voces praeconis. Luce cadente
Perfidus e portis excedat Volscus ad unum.
A festis ludis, a coetu hominumque deûmque
Pellier innocuos , ceu foedos crimine ? Pubis
Tollit pars voces : en arcus et illa Capena
Volsci dedecoris testis , quae protegit hostem !
Armis exuti vi pellebamur ; at armis
Adsumus horrentes. Fremitum pars altera mittit :
Corde resultat adhuc riguas auditus ad undas
Atque Ferentini nemus altum clamor , ab Urbe
Cum nos depulsos afflatus numine certe
Collegit Tullus , nostris atque addidit ignes
Pectoribus clamans oculis ardentibus : arma
Arma velint, poscant, rapiant modo semper in Urbem
Volscorum gentes. Certatim talibus iras
Exacuunt acies , jejuna ut turba luporum
Dentibus infrendens pleno minitatur ovili ,

Personat et late saevis ululatibus agros.
Lecta manus patrum interea Superûmque ministri
Templum tarpeji super ardua collis adibant
Mussantes trepidi ; puraque in veste sacerdos
Maximus ingentem taurum statuebat ad aras
Caelicolum regi ; ac primum inter cornua vinum
Libatum fundit ; carpens dehinc vertice setas
Imponit flammis , aurataque tempora ferro
Summa notat ; demum tollit vibratque securim ,
Mugitumque ferens ad sidera procumbit bos ,
Et flagrans sacro perfunditur ara cruore ;
Tolluntur palmae , votum sonat omnibus unum.
In tereti Vestae templo , quam transtulit Alba
Rex Numa, multa rogans Superos quoque maxima virgo
Aeternos agnam candentem caedit ad ignes ,
Quamque praeesse putat bellis, Divae immolat agnam,
Atque vetus signum ventosa per aequora vectum
A Troja imperii pignus venerabile adorat.
Virginei votis et dulci carmine coetus
Interea resonant aedes , fons , proxima silva ;
Thurea dona focis crepitant , ac templa vaporant ;
Caeca superstitio falsis haec vana ferebat
Divis. Fama volans totam repleverat Urbem
Sacros ire viros qui firment foedus ; ubique
Gens fluit , atque Fori vix continet area turbas
Spemque metumque inter ; descendens agmen ab arce
Jamque vident. Praeeunt qui Panos numen adorant
Instructi scuticis : e collo fistula pendet.
Post hos incedunt , qui forti sacra Quirino
Conficiunt aucile manu virgamque gerentes
Et pictas tunicas , aerisque in pectore tegmen ,
Romulidumque ferunt laudes et vota parenti.
Pone Jovis sequitur Flamen , cui vertice sacro
Flammeus ardet apex , digito micat annulus auro.
Hinc Rex sacrorum trabea cinctuque gabino ,

Maximus et Curio vittis pendentibus albis
It comes, et magnus lituo trabeaque magister
Augurii ornatus, quorum vestigia calcat
Vertice velato senior fecialis et hasta
Sustentans gressus, fumumque probare peritus
Fatidicumque focum, et volucrum sacra viscera haruspex.
Arvalis sequitur redimitus tempora aristis
Frater, Pinarius juxta Tatiique sodalis,
Vestibus ornati sacrisque insignibus omnes.
At praetextatus multo spectabilis ostro
Majestate gravis, doctrina annisque verendus
Inter Pontifices effertur maximus alto
Curru, ignes inter vadit ceu luna minores;
Hinc atque hinc gradiens oculos demissa micantes
Vestalis niveis vittis pallaque decora
Lactea colla, comas crispas, et mollia cingit
Pectora; sed laeva talos descendit ad imos
Purpura, virgineusque rubor virtutis amicus
Ora notat; Veneres italus ceu pinxit Apelles;
Heic decor, at Romae majestas fulget in illis;
Quos densum populi, patres, equitesque frequenti
Ad portas voto comitantur. Jamque colendus
A muris ordo longe processerat, ore
Qui tristi calle egressus portaque triumphi
Jam descendebat qua pons supereminet amni,
Almonisque sonans liquido pede labitur unda.
Undique septa jugis apricis longa virensque
Vallis erat, lucusque sacer, templumque Camoenis,
Et specus et rivus Fideique sacraria culta
Relligione Numae, qui se sub nocte silenti
Aegeriae responsa petens in sola ferebat
Antra. Atque heic steterunt currus; tum maximus ore
Sic Praesul: Proles Jovis alti Mnemosynesque
O faciles Musae, quibus haec Urbs sacra quotannis
Offert, et veteres lucos templumque dicavit,

Eloquii Divae nobis hac luce sonantes
Afflando voces vestrae miserescite Romae.
Nostra saepe manu festo cadet hostia templo,
Ac thure halabunt sertisque recentibus arae.
Sic memorat supplex palmas et lumina sacris
Protendens silvis; unum omnia pectora votum
Concipiunt; iterum currus et turba moventur.
Nuntius at tardum antevolans praecesserat agmen,
Magnanimusque, licet dura inter bella, ministris
Sacrorum dederat dux fundere libera corde
Vota. Duas volscum in partes se dividit agmen,
Vestes admirans insuetas, lumina formae
Virgineae, frontes et majestate micantes.
Ante ducum coetum postquam sacer adstitit ordo,
Nullaque vox sonat, ad terram cervice parumper
Constitit inflexa summus Virginius inter
Pontifices; graviter tum tollens ora profatur:
Quae te prima ferens aluit, dux inclyte, Roma
Desolata licet sociis, licet undique septa
Armis, in memori spes omnes corde reponit
Nati. Jam primum non longe a mente repellas,
Quam crebro crines cinxit tibi patria serto,
Quam crebro manibus portans suffragia plenis
Invidiae texit jaculis, quam saepe Senatus
Irae te vulgi eripuit; quam saepe Deorum
Numina servarint pugnae te vulnere. Magnis
Muneribus patriae sic reddis praemia? Divûm
Sic recolis numen? Sic respondetur amori
Patrum? Num memori non sufficit insuper irae
Crimine paucorum patriis a Tibridis oris
Ad magicas rupes circaeas cuncta ruinis
Caedibus et luctu replesse? Pelasga cruorem
Semper gens sitit, ut tigris; sapientia patris
Romulei videt ignaras actasque furore
Turbas, ceu surgens aequor nunc mergere quosdam,

Nunc alios refluens secura linquere arena ;
Nec prodire putat studiorum a turbine lucem
Consilii. Marcì pietatem numina amica ,
Justitiam Romae pars ingens , pulcherrima facta
Magnanimam celebrent mentem. Jam currit ab altis
Alpibus ad siculas undas virtutis in armis ,
Inclyte , fama tuae , quam dividit arbitra rerum
Sors tecum et miles ; potior quae pertinet uni
Gloria parcendi superest , qua gratior ulla
Non fulget virtus , homines ad sidera tollens.
Incipe venturae non lene pavere tribunal
Aetatis , clarum vincendi robore quae te ,
Non jam parcendi dicet. Non ardua certe
Roma petit. Facile tua mens summoque decore
Vagina gladium condens a limine lethi
Eripiet populos. At contra caedere gentes ,
Et vastare domos , latronis munera , magno
Quam durum , quam turpe viro ! Protecta latinis
Atque suis armis , victrix (jam praeterit aetas
Octava) Urbs quotnam absinthi tibi pocula forsan
Insperata dabit ! Jam parce , et pace fruatur
Ausonia , et fructu palmarum maximus armis
Cajus ; respiciasque pias nos tendere dextras
Ad te , numinibus quas suemus tendere pro te.
Vosque , duces fortes , famae sociique laborum
Marcì , ne pigeat meminisse haud prospera fata
Volscùm , cum toto tyriae vos aequore gentes
Insectabantur , primaque insistere terra
Et ripae hospitium prohibentes spicula plenis
Vibrabant manibus. Sed cursu solis eodem ,
Quo pulsi reges , jungens Carthaginis altae
Cum populo foedus Volscùm commercia texit
Roma parens , vestris ut puppibus aequor apertum ,
Et siculum litus , sardum lybicumque pateret.
Non hae labantur maternae pectore curae ,

Neu sors vos capiat ridens, quae tollit in altum
Victores, foliis levior mox ponere gaudet.
Pingitur ore ducum fervens ob verba minarum
Ira simulque stupor Virgini sensibus altis
Et grandi eloquio; hinc murmur. Circumtulit ingens
Dux oculos, vultu tacitas interprete mentes
Agminis et novit; magno tum lumina figens
Pontifici, tales fudit de pectore voces:
Inclyte Virgini, patrum virtute verendum
Agmen, quos Volscis cum fortibus usque colemus,
Plus aequo verbis clades bellique ruinae
Auctae, queis martis vis, haud mea perculit ira
Amissam turbam. Testes qui patria Romae
Exuti vinclis viderunt moenia; testes
Tot gentes et castra, quibus clementia parcit
Victoris. Veterum non hos immittit in Urbem
Ultio probrorum gladios; at pulchra cupido
Frangendi vincla Ausoniae; namque ussit ab ortu
Ambitio Romam, quae perculit oppida bellis,
Ac italis animis nil praeter caedis amorem
Liquit. Sed Volscus capit arma, et signa sequentes
Ausonidae currunt; non paucas pandier urbes
Nobis aspicitis. Faustis imponere finem
At praestat bellis, licet Urbis moenia forsan
Haud his obstarent armis, ceu Troja Pelasgis,
Ut vos falsa tenet fiducia. Divite gleba
Reddat Roma prius Volsco, quos abstulit agros
Non jus, sed martis vis; gentis et oppida tandem
Ornet honore Urbis, quo castra latina refulgent.
An genus acre virùm, quod libera tollere colla
Nititur arma tenens, equidem non immemor Urbis,
Divitias ponti plenis cui puppibus affert;
An populus sollers, artes, commercia opima
Exercens dudum, cordi cui nautica res est,
Pomptinas cogens flavescere messe paludes,

Antiquus, constans, dives, non nomine dignus
Romulei civis? Patrum sapientia jura
Volscae perpendat gentis; paucique sequestrae
Pacis adhuc superant soles. Nunc jungite foedus,
Nunc sinite a bellis lassos requiescere muros
Ausoniae. Votis si contra clauditis aurem,
Si ferro et flammis cunctam prosternere fixum est
Italiam, quaeso num frangere sacra jubebunt
Jura mihi hospitii, Ausoniae spem fallere patres
Romani? Fatur graviter, tum pandier a se
Undique dona patrum, dignas nec pendere grates
Posse ait, et fratris promit de pectore sensus;
Hinc fessam recipit turbam in penetrale, manuque
Captos purpureos supra locat ipse tapetas,
Afferrique jubet bacchi et cerealia dona,
Ac tostos igni pecudis pinguisque capellae
Armos; ipse dapes partitur, pocula miscet;
Plura et de matre et pueris, de conjuge plura
Audit; tum sacras multo dimittit honore
Turbas, et quarum votum non audiit, auget
Muneribus; volsca dat cunctis arte micantes
Enses et galeas auratas cristisque decoras
Purpureis. Pateras argento auroque nitenti
Artibus insignes tuscis sparsasque figuris,
Quadrupedemque citum summo cervicibus altis
Addit Pontifici, fulgentem et purpura amictum.
Virginibus peplum et cinctum velamen acantho,
Quo pingebatur Pici mutatio formae
Per magicas Circes herbas, et carmina donat.
Ceu frustra magnas nisus componere lites
Vir, celsis animis haud mollia dicta reportans
Pontificum coetus claram remeabat ad Urbem.
Undique fit murmur; nam bella gerenda Senatus
Vociferat muros intra; non parva sed extra
Limina turba sequens Cossum conclamat; at agmen

Fraude Tribunorum deceptum valdius instat,
Exul ne ductor revocetur; maxima vulgi
Pars contra ingeminat revocandum: cordibus irae
Oppositis ardent studiis. Caligine tectus
Vergit ad occiduas thyrreni marmoris undas
Sol; tarde incedens humerosque ligone gravatus
Ad tuguri remeat congestum cespite culmen
Fossor, fumantisque bovis juga solvit arator;
Jam circum spargunt villarum culmina fumum,
Casta viro conjux parcae dum munera coenae
Comparat, atque cibis intenti lumina circum
Ignem stant nati. Sed sacrum Marcius agmen
Dimittens, terris vix incubuere tenebrae,
E castris efferre pedes, et quaerere Romae
Constituit motus; hinc atro tegmine vultum
Tectus, ne posset quis noscere, bina coruscans
Tela manu, forti Voluso comitante, reductum
Carpit iter collem versus, qui nomen habere
Dicitur a vanis ibi fata canentibus olim
Vatibus, unde tamen resonant modo sancta per orbem
Immensasque regunt gentes oracula. Lento
Incedens gressu, vigil an custodia servet
Turres, an multi scintillent moenia circum
Ignes, intentis oculis dux cernit, et aures
Tendit, num populi clarae referantur ab euris
Voces; at strepitus confusaque verba per auras
Nocturnas volitant. Tunc nota ad jugera campi
Pergit, ubi pecudes medio suus aequore servans
Antiquus noctis frigus pellebat ad ignem
Faustus. Vix tecto angusto videt arma micare,
Multa loqui aggreditur; coeptus frustratur hiantem
Clamor. Privernas, cujus non viderat unquam
Os pastor, vellit multis e corde timorem,
Non illis ferri vim, sed servarier armis
Innocuos pecudum custodes; dulce loquendo

Tum monet, ut referat sibi pectore candidus omnia,
Quae, teneros ovium foetus cum ferret in Urbem,
Aspexit, patrum quae mens; num gnava juventus
Moenibus advigilet, dederit seu membra sopori,
An pubem Consul muris educere, denso
Reddere seu potius securam milite Romam;
Ardeat an populi cor belli aut pacis amore.
Tum quae luminibus vidit, quaeque auribus hausit,
Vera refert posita Fausti formidine pectus;
Certatim plebem patresque instare parando
Vallatas portas et propugnacula bello;
Patrum decretis contra prohiberier, arma
Ne celsis abeant muris; et murmure magno
Hinc atque hinc multum vulgi clamare per Urbem,
Pellendum Volscum clausis e moenibus; extra
Muros bellandum; jungendam in foedera dextram,
Crescere discordes iras. At plura, benigni
O quicumque duces, qui huc successistis amici,
Sunt obscura mihi, pastor sic acrius urget;
Nam mens aegra novas refugit res quaerere; postquam
Pulsus ob invidiam ingrata decessit ab Urbe
(Pro Roma et mores inversi!) crimine purus
Nobis dulcis herus, pater optimus, inclytus armis,
Pro quo cum pueris et conjuge saepe solemus
Caelo ferre manus, dum nostra altaria fumant
Agnis; me miserum dolor exurit, neque dulcem
Carpere me requiem, dum somnos umbra suadet,
Nec fessum gaudere cibo sinit; horrida namque
Romulidum nullum rerum discrimina pectus
Pertulit, infelix quot passus Cajus ab Urbe,
Cui tot bellorum praedas palmasque dicavit,
Pro qua tot plagas, tot pertulit ille labores.
Et quater auratas secuit jam messor aristas;
Ille tamen requiem nondum finemque laborum
Invenit; haud ullam requiem Veturia mater,

Haud ullam requiem lacrimosa Volumnia ... Dulce
Conjugis et matris nomen vix auribus hausit
Marcius, ex imo traxit suspiria corde;
Tum chlamyde os nudat (perstringit namque suorum
Cor pietas), senis et fletus et tristia verba
Rumpens : en quem fidus amas; en Marcius, infit;
Brachia et injiciens collo tenet, oscula figit.
Agnovit faciem longo post tempore visam,
Erigit inque pedes senior se, tendit et ambas
Palmas, uberius lacrimas et fundit, et omnem
Implet voce domum. Remeas tandemque revisis
O moestos famulos! Marcì datur ora videre
Et rursus notas audire et reddere voces!
Tanta cor haud unquam concepit gaudia, nostrae
Quae vitae, o Marci, producent tempora. Luci
Te Romae, colles, campi, miserique coloni,
Te pecudes, capreae, tauri, tristesque molossi,
Te queruli fontes, et Tibridis unda vocabant.
Sic multum gemitus verba inter singula fundens
Advocat uxorem, natos, parvosque nepotes,
Et fidos famulos; ac rustica turba repente
Circumfusa ruit; pedibus pars oscula figit,
Pars chlamydi et manibus; parcae pars munera coenae
Profert castaneas molles, et mitia poma,
Lac tepidum, cererem, ceris et condita mella,
Vinaque, romanis passas et collibus uvas.
At reditum properans dat ductor pignus amoris,
Namque humeros Fausti cingens sua pallia donat;
Fido dulce loquens famulo tum limina linquit,
Multorumque vale sonitus comitatur euntes.
Ibant hostiles securo corde sub umbris
Per campos laeti pastorum voce, quod Urbem
Civiles quassent motus. At mente volutans
Anthaejus ductoris iter formidine plenum,
Venerat, atque suum olli duxerat obvius agmen.

Jamque propinquabant; tenui cum noctis in umbra
Armatos jaculis galeisque micantibus ire
Marcius aspiciens, vagina diripit ensem,
Nam qui vos? clamans; senior cui: siste moveri,
Anthaejum fidum socios et cerne maniplos,
Qui properant ultro, ducis ut sit sospes ab hoste
Vita sui. Palmas caelo pius extulit heros
Talia miratus; lethi discrimina deinceps
Spernentem laudat Setinum. Protinus omnes
Castrorum portis taciti vallisque propinquant,
Quae circum ductor fossas effoderat altas
Claelius, invictam cum bella moveret in Urbem
Alba. Repellebant tardae tum frigora noctis
Ad flammas acies fessae; procul aequore campi
Ignibus effulgent variis, ut sidera caelo
Nocte micant; circa ductores agmina somnum
Carpunt. At taedam manibus fert hernicus Umbro,
Est cui nocturni custodia credita campi,
Et celeri gressu occurrit venientibus ultro
Sospite dans plausus ductore, quod agminis ipse est
Mens et vita sui; multam tacitique per umbram
Quisque suum tandem subeunt tentoria fessi.
Consulis aure sonant molimina saeva tribuni
Et Cossi haec inter, pellant ut robora pubis
Et mediis rapiant pugnae in discrimina campis,
Impia nam profert Arcens arcana perhorrens
Consilii; patres taciti per flexa viarum
Vadere, belligeras huc illuc mittere turmas,
Augere excubias portis et turribus altis,
Hortari, vigilent ut contra immania coepta
Praestantes virtute viri: praesaga malorum
Urbs perturbari, veluti cum caerula caeli
Eripit obscurum nubis, nimbosque minatur.



LIBER OCTAVUS



ARGUMENTUM

Divina Providentia poena tandem afficit Romanos, ob violatas justitiae leges in damnando Coriolano; hinc permittit Cossum non videre praesens caedis periculum, nec audire hortationes patrum, et audacter ferre arma extra muros cum acie conjurata. Toto libro describitur ferox pugna nocturna, virtus ducum, et militum tam romanorum, quam volscûm, caedes primorum, mors Palmi, Cossi, Largii, ejusque funus, tum demum Juliae questus ob mortem Cossi.

Panditur interea caelum, lateque rubentes
Apparent intus flammae. Se fundit ab illis
Et micat horrendo triplex cum murmure fulgur;
Tum sese scindit tenuesque recedit in auras
Ignitum velum, celsaque in sede refulget
Saeclorum Rector, poenas ut poscat ab Urbe,
Exemploque gravi a noxis deterreat orbem.
Majestas in fronte sedet, qua cuncta creabat;
It justae e labiis, ut fumus, spiritus irae,
Fulmine ceu quando terras delere minatur.
Ordine fulgenti dextra laevaque sedentes
Aligeri juvenes intentis oribus adstant.
Tum convertebat frontis decus ille ministro
Irae; ac terribili micuerunt lumina flamma.
Haud molles hausit jussus, tremuitque supernum
Imperium; caput atque genu flexere ministri
Aulae, fulgentesque auro posuere coronas
Ante thronum, dulcique melos cecinere salubrem
Justitiam; thuris fumus circumvolat aras
Aeternas. Caeli sublimibus alta columnis

Spiritus hinc ultor linquit pernicibus alis
Limina ; splendorem tegit ; induit ora severa ;
Cingit utrumque latus nebulis, sermoneque terris
Haud noto docet aligeros in nube sedentes
Aera per Latii nutus mentemque supernam ;
Numinis ad laudes iterandas caelica regna
Tum repetit, radius ceu lucis. Protinus olli
Convertunt circum radiantia lumina, et atrae
Se cogunt irae nebulae caecique furoris,
Romulidumque ruunt supra caput, horrificoque
Circumdant animos velo. Jam vesper olympo
Astrifero surgit ; solis lux alma recedit
Paulatim terris. Exspirans ore furorem
Arma rapit manibus, tenditque ad limina gressus
Exsultans animis Cossus ; cui Julia conjux,
Quae puerum, Veneris ceu florem, gestat in ulnis,
Moesta viri dextram dextra complexa locuta est :
Quo ruis infelix, majoraque viribus audes
Victorem contra Volscum ? Cur jura Senatus
Conculcas ? Quonam tibi cura tuique domusque
Cessit ? Me miseram ! tibi nox infausta propinquat
Et caro capiti pueri matrique relictae !
Elapsa caperem dum somnos nocte (capilli
Fronte mihi memoranti horrent, gelidusque per artus
It sudor), feriunt aures lamenta repente,
Teque supra clypeum caesum te, Cosse, ferentes
Ploratu socios haec intra limina cerno.
Hei mihi ! qualis eras ! Pallentes funere vultus,
Occlusos oculos, concretos sanguine crines,
Vulnera multa gerens, vitaque animaque solutos
Artus. Ista boni misere insomnia manes,
Ne violenta premat te sors, convulsa ruina
Ne tua tecta cadant ; etenim te morte perempto
Quid superest domui ? Quare discedere muris
Parce ; caput certis parce objectare periclis ;

Si pugnare paras, tutis a moenibus arce
Hostiles iras, neu frangas jussa Senatus.
Da miserae hanc veniam junctae tibi foedere lecti,
Quae pro te caderet; nostris ne vocibus aures
Claudas; aut si non audis, me confice primum;
Tum limen superes infaustaque praelia tentes.
Julia sic plorat, cui conjux: omnia cordi
Haec mihi sunt equidem; verum Romanus abhorret
Hostili coram gladio requiescere muris,
Et pavidos ridens lemures et somnia noctis,
Obvius exardet memorandis ire periclis.
Sic statuam Cocles, sic Scaevola milleque fortes
Promeruere viri famam, quae terminat astris.
Praeclaram memora patriam; nec cede dolori
Me propter, conjux; etenim si fata juvabunt,
Cras Romam repetam praecinctus tempora lauro;
Quod si fata premant, immensas vincere fati
Quis valuit vires? Tum vero nostra latinae
Coepta canent semper gentes et nobile lethum.
Ergo domum, conjux, et nostro sanguine cretum
Hunc puerum cura; nos jussa sequemur honoris,
Non monitus patrum, nocturnaque bella feremus
Hostibus oppressis somno longoque labore.
Sic ait, atque manus tendens a conjuge natum
Accipit, et roseis dat malis oscula, reddit
Tum celerans matri; quiddam lacrimabile risit
Illa doleus, natus cum matris colla lacertis
Strinxit, et inclinans materna ad pectora vultum
Exsultansque patri fulgentia lumina vertit;
Salve ait arridens, et gnatum blanda tuetur
Cossus; tum socios quaerens e limine gressus
Effert. At lacrimans os olli Julia figit,
Nec linquit valvas, oculis quoad cara recedat
Forma viri. Interea lucenti casside tectum
In mediis plateis agmen se cogit equestre

Tercentum juvenum. Exquilias hinc turba rebellis,
Collis Aventini sedes, clivumque Palatì,
Janiculique domos audaci pectore linquit,
Vultque Forum complens ingenti murmure portas
Pandi. Vectus equo Cossus dux agminis auget
Circum discurrens iras, jugique tribuni
In patres odio accensi. Sine lege capillis
Fusis pallentes, similes amentibus errant
Huc illuc, lacrimas necnon ardentia vota
Uxores adhibent frustra; Deus obstruit aures
Turbarum. Linquunt Capitolì immobile saxum
In tanto patres discrimine; maximus inter
Pontifices turbae audaci Virginius ora
Sic solvit: dicam vos cives? Agmen amicum
Vos patriae dicam? Paci favet Urbis amator,
Jura magistratumque colit, sanctumque Senatum.
Frangitis at leges, parentem patribus Urbem
Spernitis ut timidam, scelerataque sumitis arma;
An non jure vocem vos hostes Urbis? At ante
Coeptum immane satis versastis pectore? Forsan
Praeclaris orbi ducibus, numeroque minores,
Tot fortes acies, quas mens agit inclyta bello,
Sternetis? Tutis victorem pellier hostem
Moenibus haud praestat? Sic Urbs servanda Deorum
Condita consiliis; non portae limine pubes,
Non rapienda foras, non: si Deus ipse moneret
Mavors, erraret Mavors. Heic sistere promptis
Ad pugnam praestat telis. Aut proteget omnes
Urbs dilecta Deûm generi; commune sepulchrum
Aut dabit haec nobis. His dictis tollitur ingens
Murmur; nam vario plaudit pars rectior Urbis
Assensu; contra Cossus dux talia reddit:
Qui late circum nos straverit oppida nimbus,
Ante oculos interque manus est; undique muros
Circumdant hostes. Qui Romae nisus, ut olim?

Quid magni patres? Cum tempus stringere ferrum,
Consilium coeptum; Latio cum pellere bella
Fas erat (et primo vis ortu haud magna latinis
Finibus arcebat bellum), requiestis in Urbe;
Hinc volscum ferrum replevit caede latinos
Muros, haecque parat rescindere moenia. Turpi
Vultis adhuc somno indulgere? Quousque jubetis
Claudier Aeneadas veluti pecuaria septis?
Haec electa cohors, cui Romae gloria cordi est,
Hostes in castris invadere nocte repente
Ardet. Num Volscus genus insuperabile bello,
Aut non consequitur nostro de vulnere sanguis,
Vel non audaci sors est numenque Deorum
Praesto? Vel ad mortem si nos fera fata vocabunt,
Fortiter haud campis praestat, quam segniter intra
Muros ad manes imos descendere? Fatur,
Et conjuratae concordi murmure voces
Tolluntur. Melior populi majorque caterva
Infremit at contra; patribus devincta juventus
Aestuat ut pontus, nimbosque ut ab Urbe repellat,
Arma vocat; flagrant jam jam civilia bella.
Tum sapiens patrum coetus, cui nulla potestas
Contra consilium superest caecumque furorem,
Cedendo fatis turbarum damna repelli
Cernit; et hinc cessat frustra cohibere ferocem
Pubem, sed clamat moerens: incurrite in hostes
Quos fortuna juvat, quos longa scientia belli
Et dux armipotens moderatur; linquite muros,
Cum sic insanire libet. Liquisse pigebit
At nimium sero; pendetis caede furoris
Poenas. Atque utinam misera erupisset ab Urbe
Omne scelus! Vetitas at sese proripit extra
Portas arma fremens elata fronte juventus,
Sopitosque ferit spe Volscos. Ducit ovantes
Altus equo turbas generoso Cossus, et audax

It comes Aemilius juvenis, flammasque recentes
Adjiciunt Decii germanus Varro tribuni,
Magniloquus rigidusque Cato, cui filia casta
Bruti nupta fuit, Belluti et strenua proles
Maulius, ac equitum pars quorum felle tumescit
In Cajum pectus. Patrum sapientia, prolis
Incautae veluti genitor non abjicit unquam
Ex animo curam, Numitori fatur, et agmen
Colligit ad portam, Volsco si fracta recedat
Erumpens acies, ut dux occurrat, et intra
Valvas excipiat miseros. Dumque ante Capenam
Densi laetitiam populi spectantis et iram
Seditio pietasque cient, flagrat ecce tumultus
Tarpejum circa (sic digerit omnia Cossus).
Nam mamertini Marcellus carceris ante
Terribiles facies exsultat tela coruscans;
Una dux acer jaculo Rugaeque sodalis
Umbrenus, Cossi Vibiusque agitator equorum,
Una pars pubis. Stant contra limine primo
Densi custodes, in quos jacit impia turba
Tela manu crebra, flammasque ad culmina. Noctis
Contecti tenebris animos dant verba tribuni;
Hinc libertatem promittit lingua rebellis
Carcere detentis: illinc reboantibus antris
Irarum rauco fremitu tractisque catenis
Horrendum vincti jurant, incendia, patrum
Funus, et incursum pubis contra agmina Volscûm.
Vestibulum ante ipsum vitam cum sanguine fundit
Non unus custos; major sed turba superba
Fixa jacet telis; Umbrenus concidit, una
Marcellus Vibiusque super procumbit acervum
Caedis. Nec mora; tarpeja descendit ab arce
Agmen in audaces, trepidi qui vulnera pauci
Effugio vitant, et caeca nocte teguntur.
Custodum pariter frangunt vigilantia tela
Digitized by Google

Audacem nisum gravidas nidore ferentem
Taedas, ut variis spargat regionibus ignes;
Undique se fortis plebs cogit amica Senatus,
Crimen et Urbe cadit. Socii sed nocte silente
Ignari casus, intenti ad grandia coepta
Audaces, taciti, ceu saevis plena procellis
Nubes, accelerant gressus; Almonis et undas
Post se linquentes, sistunt procul aggere mille
Passus, quo tendit Volscus, dapibusque meroque
Instaurant vires. Tum dura ad praelia Cossus
Hortatur: socii praeclari fortibus ausis,
Non procul a nobis en hostis castra superba
Fama, non virtute virùm metuenda; latronis
Quae virtus etenim volsci? Pro Juppiter! ille
Armis, sive dolo potius, vix nota Latinis
Oppida romanis toties subjecta triumphis
Edomuit, Roma non obnitente. Videtis
Quadrupedes, currus, clypeos, tentoria, praedas
Ingentes? Forti tenebris his omnia dat sors
Convectare domum. Quae cernitis, illa putatis
Agmina, quae portis audaci corde ruebant
Antiacis? Animis ast excidit, illa priora
Triginta soles numquam posuisse pharetram?
Hinc ferro pars magna jacet transfixa; supersit
Aut si quid reliqui, somno vinoque sepultum est;
Et si consurgat, non certe numina surgent,
Mortales in mortales; animaeque manusque
Sunt totidem nobis; Urbemque videbitis omnem
Quamprimum campis miscentem praelia. Nunc nunc
Pro more audendum dextra, delendaque victa
Gens toties; vobis primus signabo cruentum
Corpora fusa super callem intra septa. Priusquam
Nox fugiat, dirum Cajum Volscosque videbit
Caesos, victricem patriam, vos lumine cinctos
Et spoliis auctos. His vocibus infremit agmen

Digitized by Google

Assensu ; ductor minitantem concutit hastam ,
Invaditque viam primus , sociique silentes
Corde truci accelerant. Noctis sub luce maligna
Volscorum vigiles Cossus prius aspicit ; illi
Convertunt retro gressus , hostilia tela
Cernentes , simul et voces ad sidera jactant.
Prima cohors excita sono consurgit , et arma
Perturbata rapit manibus. Procurrit in ipsam
Cossus et Aemilius sociique. Vibrare sagittas
Illa manu trepida , et vagina educere ferrum ;
Nititur at parum contra ; correpta timore
Convertit dorsum , multoque relinquit arenam
Sanguine contectam. Primo clamore vocatus
Marcius armisonans terra surrexerat. Hostem
Praecipit explorent ; aptas hinc urget in ipsum
Vires , et properans : serva tentoria , fatur ,
O vigil Anthaei ; nos recta petemus ; at , Ufens ,
Tu non conspectus per devia perge ; reposto
In clivo , musis quo surgit silva , recoade
Agmen. Si portis acies irrumpat in arma
(Dummodo par hosti sis) , irrue , disjice , ne se
Cum sociis jungat. Tibi si vis obvia major ,
Mitte statim nobis , et gressus verte retrorsum
Ad volscas acies. Ait haec ; tum mente sub una
Ambo duces diversa petunt ; secura triumphi
Ardens pugnandi magnum sectata caterva
Marciadem ruit e castris. Quatit aera caecum
Buccina, voxque ducum ; tum pulsu terra tremiscit
Quassa pedum turbae confertim in bella ruentis.
Principio ductor praecurrens Silvius arma
Primus in adversos jactat , ferroque secantur
Varroni fauces , dum replet vocibus auras ;
Cumque paras resono ex arcu torquere sagittam ,
Transadigit , Servi , tibi costas hasta cruenta
Viribus a Voluso magnis contorta , cadensque ,

Odi, inquis, Volscos. Nec dextris irrita vibrant
Tela Cato sociûmque cohors, et corpora Volscûm
Procumbunt. Lateri Marci fidissimus haeret
Et domini a membris hostilia damna repellens
Nunc pinum emittit Moenas, modo surgit in ensem,
Horrisono rapidos calamos modo torquet ab arcu.
Hinc atque hinc animas exhalant vulnere multi
Romulidum; contra Cajum dum conjicis hastam,
In pulmone tepet, Manli, tibi missile Moenae;
Tu cadis; in Cajum morienti ast infremis ore.
Haec inter turmas immittit Marcius, hostis
Ut latus oppugnent. Advertit Cossus, et acer
Occurrit rapiens equites, ac eminus hastas
Conjiciunt primo incursu; tum cominus urgent
Pectora pectoribus, rumpunt et pectus equorum
Qui magno terram strepitu cum milite plangunt.
Pluribus at stratis flammantia lumina vertit
Orphitus in Cossum, qui magnis vocibus agmen
In Volscos urget. Plagarum multa gerebat
Hic gremio signa; impubes a patre feroci
Nam fuit in fortes Romanos raptus ad arma;
Acriter et subiit pugnas, odiumque paternum
Exercebat atrox; tum vero Umbrone magistro
Turmae ducebat partem. Jam protinus hasta
Pertingit Cossi laevam, calcaribus armos
Caedit equi, insultatque solo, convertit et hosti
Terga; retro capitis rediens et perforat arma,
Infligitque leves plagas. Tum conjicit hastam
Dentibus infrendens Cossus; revolutus ab alto
In terram procumbit equo, moriensque precatur
Orphitus excidium Romae. Dux acrius urget
Impellitque manu Rhoeteum, sub pectore lapsi
Et super incumbens telum defigit; at ille
Ingemit extremum moriens. In tempora Cossi
Tarquitus haec inter spirans immane securim

Vibrat; lethali at ferro se subtrahit ille,
Atque simul validis contorquet viribus hastam,
Et Volsci defigit in inguen; calcibus atram
Tundit humum ille cadens, foedatque cruore bipennem.
Longius impulerat caedis vesana cupido
Aemilium juvenem inter pulchra pericula. Cossus,
Qui miro fratrem complectebatur amore,
Pectore turbato procurrit, et obvius illum
Leniter objurgat, prohibetque recedere, rursus
Et pugnam instaurat, propius simul arma movente
Aemilio; hinc equites, Volscorum robora pubis
Procumbunt fratrum ferro. Non distat ab illis
Umbro inter pugnas ardens, quem provocat acer
Ventidius jaculis ulturus funera patris
A duce demersi letho. Sed conjicit Umbro
Admorso telum labio, frontemque superbam
Caedit equi; quadrupes se tollens hinnit acutum;
Ast effusus eques confestim surgit, et ense
Irruit in Volscum, qui ferrum in gutture condens
Ventidium sternit. Conversus tela ferentem
Corvinum cernit, contorquet et illico pinum,
Quae costas frangens cor figit, et illius artus
Ferreus in terram lapsos pes calcat equorum.
Surgentem Vari valido dux amputat ictu
Dextram, quae ferrum linquit, delapsaque terra est,
Semianimesque micant digiti, Varusque secutus
Extremos tollit gemitus cum sanguine fundens
Vitam. Procedit caedisque relinquit acervum
Umbro celsus equo, et socii inclinata gerentes
Spicula; pugnantum strepitus gemitusque cadentum
Tollitur atque pedum sonus ac hinnitus equorum.
Aequicolus pariter stipatus fortibus Aequis,
Venatu nemorum suetis et caede ferarum,
Non procul aggreditur pedites; et primus in hostes
Procurrens medios tanta vi fulminat ense,

Perforet ut gremium lethalis mucro Metello,
Et tibi, Corneli, qui vibras tela propinquus
Olli, transadigat latus, et prosternat arena
Ambos. Inde Procae capiti demittit ab alto
Ictus, et frontem scindit cerebrumque cruentum
In binas partes; aliis et munera vitae
Aufert; et quamvis non uno vulnere laesus,
Non remoratur iter; generosum gloria ducit,
Impellitque furor, similique ardore sequuntur
Atque solo socii prosternunt fortia multa
Corpora; et in totis vulgus sine nomine campis
Concidit, ac terram palmis et pectore plangit
Aut latere aut humeris. O nox fatalis, ab alto
Quae conspexisti velasque silentibus umbris
Tot Romanorum casus miserandaque facta,
Sit fas in lucem proferre et pandere cantu,
Incautae monitum pubi persaepe neganti
Illis obsequium, quibus est suprema potestas
Rerum. Marciadis confestim voce verenda
In cuneos se nunc constringunt agmina, nunc sese
Effundunt late; gladio nunc turma repente
Impetit; haec punctim, caesim ferit illa caterva;
Aut propius ferro, procul aut infligitur arcu
Vulnus; et his Volscus pugnas init artibus. Urbis
Ast acies tenuis ductorum ars dirigit, ingens
Et virtus prohibet, saevo ne turpiter hosti
Convertant humeros; hinc Volsco fortiter ora
Ostendunt, retrahuntque pedem, vitamque tuentur
Ensibus et clypeis. Volsci sed pressius urgent
(Marciadis magni vox plusquam buccina noctis
Per tenebras resonans ipsos inflammat, et auget
Vires), et pedibus conculcant mortua, viva
Corpora, quadrupedes, currus, vexilla, sagittas.
Per medias equitans it nudo Marcius ense
Impavidus caedes; nec ferrum vibrat in agmen

Romulidum, propriae nisi cum tutela reposcit
Vitae; tela sibi tinxisse cruore latino
Esse satis censet; nunc Romae sternere natos
Vi mentis multo praeclarius esse tuetur;
Tum nunc magnanimum clypeum, nunc ictibus arma
Opponens animo, vigilanti lumine, cursu,
Et miro imperio jam Volscûm sueta triumphis
Arma movet. Celerans ut prorsus deleat agmen
Moenibus egressum, tum fatur: curre per arva,
Gressibus hinc versis, Umbro, improvisus in hostis
Terga ruas, reditum praecludas. Dixit; at ille
Quadrupedem stimulo pungit, sociique sequuntur.
Et jam Romulidum numero tenuata caterva,
Non virtute virûm, parvas Almonis ad undas
Venerat. Aeneadum cladem Volscosque ruentes
In muros pallens Urbi cum nuncius affert,
Et vario vulgi turbantur corda tumultu.
Ast imperturbata patrum praesaga malorum
Mens lectos laudans juvenes hortatur ad arma,
Ocyus ut retrahant socios a limine lethi,
Et portas pandit Numitori; cumque cohorte
Ille pedes effert, juvenis ceu currit ad aras
Connubii; celerat, sed tardius ire videtur
Damna morae pavitans; en audit ad arma vocare,
Protinus arma simul jaculari callis ab altis
Ripis; et casum cernit funusque suorum,
Atque repente vias clausas hostilibus armis.
Dentibus infrendet Numitor, sociisque vocatis
Irruit in pedites, ductor quos urget ad arma
Nursinus; primo nec Volscûm concidit unus
Incursu. Verum te Volscûm tela, Vopisce,
Sternunt, cui dilecta parens e stirpe creata
Lartì, nam magnis juvenis dum viribus ictus
Ingeminat praeceps, Ufens sub gutture ferrum
Abscondit; moriens reminiscitur ille parentem.

Dux volscus plures haud claro sanguine cretos
Huic addit comites. Summa nituntur opum vi
Agmina, scuta sonant, fulgent ensesque per umbras;
Non se Romanus retrahit, non Volscus, et aequat
Alternos Mavors ictus et funera; quando
Turbida fama ruit, Volscûm resonatque per aures
(Incertum, unde prius vox vana eruperit), arma
E Romae portis effusa volare ferendo
Auxilium sociis, claudendum protinus hoste
Volscum, ni fugiat. Mentes formidinis umbrae
Tum vero obducunt; errat sine lege per agros
Volsca manus dextris incassum missile gestans.
Nomine quemque vocans iratus vocibus urget
Ufens incassum; ceu quando timore quadriga
Corripitur, frustra vocem moderator equorum
Tollit lora trahens; non audit currus habenas.
Almonis circa ripas exarserat inter
Haec certamen atrox; rauco jam corpora multa
Aut volvebantur fluvio, vel caesa jacebant;
Hostis ubique premit Romanum, Marcius ante os,
Dux Umbro a tergo. Progressus straverat hasta
Quadrupedem Cossi Moenas, et fixerat olli
Crus ferro; quamquam sed tardus vulnere ductor
Non cedit pugna, telumque immane coruscat.
Interea fortis discrimen nuncius affert
Aemilio, caedis quem dira cupido ferebat
Inter tela procul; suspirans fratris amore
Ille dedit lacrimas, gladioque cucurrit in hostem:
Cede loco; vulnus non fert, ut, Cosse, retractes
Telum; sic fatur, seseque immiscuit armis,
Surgentique subit dextrae, gladiumque ferentem
Plagam sustinuit ferro, dum tectus abiret
Germanus. Pius incautum desistere pugna
Hortatur Moenas. At non minus igneus ille
Exsultat. Marcì comitem tum ferrea belli

Digitized by Google

Lex urget; valido nam ductor candida rumpit
Pectora mucrone; ille cadit resupinus in arvis,
Et fratrem vita decedens advocat. Hasta
Sustentans gressus tum, qui prope cuncta videbat,
Sic fatur Cossus: quid me, saevissime, fratre
Erepto servas? Venio moriturus, et ista
Dona tibi primum porto. Celeresque sagittas
Dentibus infrendens mittit; tum diripit ensem
Vagina, et quamvis alto vis vulnere tardet,
Invadit Moenam, crebros et dirigit ictus
In gremium, in jugulum: pietate retentus at ille
Se clypeo gladioque tegens haud impetit aegrum,
Et verbis lenit. Verum asper et improbus ira
Dux in pernicies incumbit nobilis hostis,
Ac odit lucem; tum demum concidit ipsa
Exanimem supra confossus cuspide fratrem;
Et reliqui torvo Romani lumine primum
Ex ducibus Cossum cernunt mucrone cadentem,
Ac volvunt animis unam superesse salutis
Spem, nullam sperare salutem. Turbinis instar
Ecce autem Numitor procurrens fulgurat armis
Instaurans pugnas, et vividus agmine cinctus
Ense ferit, sternit. Voces ad sidera jactant
Auxilium socii cernentes; undique septi
Nam volscis armis jam caedebantur ad unum.
Tum Cato cum reliquis laetus se jungit amicis
Agminibus, semper versis ac oribus aspros
Ad Volscos retrahunt gressus, et tela retundunt.
Jam septem propius colles aeternaque Romae
Moenia surgebant humeris obversa cohortis
Quae remeat pugnans; densa intra limina portae
Expectat pubes, audit bellique propinquos
Mugitus, pugnae generosum ac sentit amorem
Pectore; jamque foras clausis erumpere muris
Et sueta cuperet virtute domare superbos,

Ulciscique necem sociorum. Consonat aure
Sed legis jussus, sancti monitumque Senatus,
Et magnos animi nisus gressumque refrenat;
Ceu signum sonitumque tubae cum sperat equorum
Agmen decertans cursu; pede pulsat arenam,
Impatiensque morae fumum de naribus efflat;
Jam volucres vellet saltus iterare per arva,
Cursibus et metam transire; at tensa catena
Ad pectus remoratur iter. Jam currere Volscum
In Romam, caesos plures e prole Quirini,
Vix haec accepit generosus Lartius aure,
Stare domi renuit, membrisque trementibus aevo
Loricam cingit, laterique accommodat ensem,
Atque tegit galea canos. E patribus ingens
Agmen, Posthumius primus revocare ruentem
Contendunt patrem; non audit; jamque Capenae
Evadit limen; sequitur quem turba clientum;
Nec tanto linquit discrimine fidus amicus.
Vix lapidis jactu muris secesserat, umbra
Sublustri ductor cernit romana per auras
Signa volare, feros audit clamore sequentes
Volscos. Nudato ferro tunc anteit omnes
Lartius, atque alte sublatum surgit in ensem
Contra ductorem Palmum; sed protinus ille
Opponens gladium devitat funera; rursus
Cuspide longaevus ferit, at se subtrahit ensi
Volscus; multa viri inter sese vulnera jactant
Nequidquam; Lartì sed vires conscia virtus
Et pudor incendunt, vincat quia serius hostem
Romanus; validum tum tandem conjicit ensem
In fortem juvenem, totumque in pectore condit,
Armigerumque ducis lethali vulnere, multas
Et non obscuras vitas extinguit; adurgent
Praeclari comites Volscorum tela, verendi
Artus ne patris ferro tangantur; at inter

Tot caedes subito confosso pectore ab hasta
(Qua contorta manu latuit) resupinus in arvis
Inclytus ille ruit, sonitum super arma dedere.
Magnanimi casum patris gemuere cohortes:
Quî cadis o Romae custos o gloria, Larti!
Ira, dolor, caritas certant et patria virtus
Pectore Romulidum; tum crebris ictibus urgent
Hostes, ne corpus rapiant insigne trophaeum.
Ast ubi Posthumius generosum vidit amicum
Pectora transfixum ferro campoque jacentem,
Corde trahit gemitum lacrimis ac irrigat ora.
Tum volat ante aciem primam, gelidumque cadaver
It circum; clypeumque ingentem opponit, et hastam
Quassat, morte parans dejectum sternere, quisquis
Obvius arma ferat. Majora at viribus audens
Antiacus praedae spoliorum et fervet amore,
Magnanimumque ducem Quercens sic increpat: isthinc
Cede procul; bellum nemo tulit acrius urbes
In volscas, caesus quam Lartius. Anne repelles
Agmen, quo jacuit victus, ne praemia tollat
Pugnae? Cede; cadas et tu ne cuspide volsca.
Cervicem quassans Romanus torva tuetur;
Ille tamen primus clypeum ferit incitus hasta
Adducta; solido sed cuspis in aere reflexa est;
Tum ruit in Volscum ductor mucrone secundus,
Nec non transfixit guttur, ferrumque cruentum
Parte alia exegit molli e cervice. Sed urgent
Hinc Volsci, hinc telis Romae generosa juventus;
Caesa solo calcant bellantes corpora; clarum
Exanimemque virum spes illis limen ad Antî
Pertrahere, his Romae intra moenia; durus utrinque
Exoritur fervetque labor sine fine. Sodalis
Inclytus extincti tum forti dicta Catoni
Et Numitori convertit, carumque tuetur
Ense simul corpus: vos ambo subite cadaver,

Ac humeris medio sublatum efferte tumultu;
Ne telis autem transfigi terga ferentum
Possint, nos hostem contra pugnabimus. Olli
Ast ulnis amplexi alte a tellure cruentos
Sustulerunt artus, et quamvis ingruat imber
Telorum, media e turba mediaque ferebant
Laeti animis caede ad portas sine sanguine corpus.
Ecce autem celsis cives a turribus hostem
Proturbant telis, magno clamore vocantes
Volscorum terrorem inter bellique ruinas
Elapsos cives. Hi magnis nisibus iras
Victorum reprimunt; ceu nautae fortius urgent
Iratos fluctus, cum portus ora patere
Cernunt; sed tandem multo sudore madentes,
Vulneribus laceri, laceri crudeliter arma
Et vestes, animis non fractis limina scandunt;
Et socii multa converso cardine portas
Vi torquent humeris obnixi, hostemque ruentem
Rejiciunt. Et jam stellis aurora fugatis
Almam ducebat lucem mortalibus aegris,
Ac irrumpentem Cajum vidisset in Urbem
Illa dies. Magno sed pugnant murmure venti;
Nigrantes actae vix nubes turbine colles
Tangunt, hinc atque hinc rutilans electricus alto
Praecipitat caelo torrens, ac aethere rupto
Collis Aventini, Tarpeji, Tibridis undae,
Et lati tonitru crebro tremuere sub Urbe
Campi; tum densus stridente aquilone procella
In Romanorum vultus immittitur imber,
Contegitur belli facies caligine tetra,
Immensique lacus species urbana videntur
Arva: cadunt flammae, densusque it fumus ad auras,
Volscorumque fremunt acies in castra ruentes
Saeva praereptis a tempestate triumphis.
Romulidum reliqui elapsi de caedibus intrant

Tecta, foventque suos amplexu, talia corde
Fundentes: equidem nimia certavimus ira
Contra Marciadem, contra praecepta Senatus,
Et jacet in campis sociorum magna caterva;
Vix nos servarunt Superi. Pomoeria circum
Bellutus, Decius, Brutus caesisque propinquis
Aegra manus, lentis, taciturnis passibus errant;
Et saepe ad tristes campos, ubi funera prostant,
Sanguineas vertunt acies, maculaeque trementes
Suffundunt malas, exanguis tingit et ora
Pallor. Sic arva immiti populata videmus
Grandine: convulsis calami spoliantur aristis:
Stant sine fronde rosae, stat secto caule papaver.
At non in patres placabilis ira tribuni
Refrenat gemitus, lacrimas et sorbet obortas.
Vix tempestatis paulum violentia cessit,
Ingens fit circa muros portamque Capenam
Concursus; noscunt comites carosque propinquos,
Atque vocant vita functos, atque oscula figunt.
Praecipue moesto venerandi lumine patres
Imponunt humeris ductoris triste feretrum
Lartî incedentes lenti per flexa viarum,
Quae longum lugent. Media sustollitur ingens
Luce Fori rogus e piceis atraque cupresso;
Hunc super imponunt, et pictis vestibus ornant
Corpus. Posthumius postremos solvit honores,
Atque ducis laudes memorat devictaque bella
Multa gemens; late fletu resonatque platea;
Supponunt tandem taedas et tollitur ignis.
Tardo volvuntur passu telumque tenentes
Ter circum flammas acies, funusque ululando
Lustrant; ad caelum fumus, moestusque tubarum
It clangor, clamorque virûm, saevique dolores
Faeminei. Infelix ast circum Julia muros,
Armatas acies inter famulasque gementes,

Scissa comas errat, moestos ac tendit ad agros
Palmas, Cosse, gemens, mea spes quo, Cosse, ruebas?
Eccur uxoris-lacrimis monitisque Senatus
Claudebas aures? Uxorem ubi, Cosse, relinquis
Et miserum puerum? Pereat nox horrida, quando
His acies muris erupit; dissipet illam
Turbo, nec in partes eat anni! Summe Deorum,
Cur non me telo sternebas, saeva priusquam
Funera vidissem? Quid vanos pectore duco
Questus, et corvis linquo canibusque latinis
Cossi relliquias? Inhumatum squallida circum
Litora Cocyti tendentem brachia frustra
Terribili cerno nautae. Reserate Capenam;
Quaerere stat caros artus avulsaque membra.
Ipsa humeris lacerum portabo funus, et Urbi
Ostendam caesum Volscorum cuspide civem;
Subjiciam vestris, equites, quos Cossus amabat
Ceu fratres, oculis ductorem funere mersum;
Ostendam puero patrem, lacrimasque ciebo
Et defleta tegam monumento membra, paludes
Ut detur stygias innare, domosque piorum
Endogredi. His animi concussi, pectore longos
Dant cuncti gemitus, ad praelia deficit ardor.
Corripiunt juvenes tum patrum nutibus illam
Quae incendit luctus, saevumque levare dolorem
Nituntur, manibusque piis ad tecta reportant.



LIBER NONUS

ARGUMENTUM

Dum Roma turbatur, Antium exsultat et decernit munera Marcio, et Tullus parat ire, et gratulari victori. Patres noctu mittunt, qui vires et mentem hostium explorent. Hortationibus Posthumii omnes majori studio sese parant ad bellum. Matrum concursus ad templa, eorumque consilium adeundi Marcium cum ejus conjuge et parente. Volumniae fuga in aedes Castoris, reditusque domum ad monitus Consulis Furii. Ob auroram borealem vulgus valde turbatur, et auctoritate librorum sibyllinorum monetur, ut hostem repellat a muris. Volumnia rursus parata fugae cum filiis a socru retinetur domi. Marcius ne distraheretur a subito Tiburtinorum incursu, sistit agmen in tumulo qui tiburtinam viam respicit, et mittit ad eos Anthaejum, prohibetque ne pubem educant e muris in Romae oppugnatione.

At Veturiadis nomen palmaeque recentes
Festivas Volscûm late resonare per urbes;
Instat et Antiacus populus monumenta decoris,
Et memoris cordis ductori ferrier, altum
Cujus consilium et robur miratur in armis
In primis Tullus. Magis omni sole nitentem,
Atque suae noctem genti vocat ille beatam,
Qua volsco jacuit ferro romana juventus.
Multa super Cajo rogitans et multa renarrans
Facta viri, nequit expleri rursumque videndi
Flagrat amore ducem; parat ire palamque profari,
Cujus proposito plaudit mens celsa Senatus,
Legatosque, novasque acies, et maxima summo
Mittere dona viro statuit. Sed murmura falsae

Famae concutiunt Urbem, tentoria Volscûm
Agmine plena novo, totis descendere campis
Conversis Urbi telis tot millia, saevis
Quot nunquam portis misere in praelia Romae
Arces infensae. Romana at pectora flammis
Valdius uruntur patriis, instare periclum
Cum gravius patriae cernunt, ac pacis adempta est
Spes omnis. Proavique senesque trementibus aevo
Membris heroas priscos et robora gentis
Laude celebrantes accendunt corda suorum.
At densis turbis stipatus fronte severa
Nautius et Furius stridenti cardine Jani
Impellens pandit portas ac intonat ore
Bellum; voce simul bellum vocat effera pubes,
Atque tubae geminant bellum, caelumque remugit.
Jamque viri et juvenes sagulis latera ardua cingunt,
Obducunt galea crines, hastilibus armant
Dextras, loricis pectus. Jamque ore vocante
Consulis extemplo tarpejas agmina linquunt,
Et Jani reliquasque arces, seque ordine ponunt
Sub duce quisque suo Capitoli colle sub alto,
Constringunt qui gaesa manu, qui missile ab arcu,
Aut lapidem jaciunt funda, qui pila coruscant,
Quique gerunt hastas fulgenti cuspide, quique
Terga premunt spumantis equi, capita ardua cristis
Purpurei. Magni circumstant centuriones
Stringentes manibus virgas. Se continet omne
Agmen sub veli signis pendentis ab hasta,
Aut aquilae fulvae pandentis ad aethera pennas,
Infixaeque manus telo quo scutula pendent;
Estque locuturo legionibus ore tribunos
Cernere quos radians discernit pugio. Plena
Milite lata Fori productaque strata viarum;
Et densis circum seges undique ferrea telis
Horret. Non paucos longa experientia belli

Artes edocuit; membra indefessa labori
Ac robur cunctis, generosus fulget et ore
Mortis contemptus. Mediis tum millibus armis
Clarus Posthumius procedit; Cassius acer
In bellis dextra, laeva legatus euntem
Claelius insequitur lato conspectus in ostro.
Ocyus ante ducis vultus hinc inde catervae
Se retrahunt panduntque vias, et classica caelum
Laetifico replent sonitu, veteremque salutant
Victorem Volscûm. Patres sanctusque Senatus
Tarpejo in clivo septi lictoribus adstant;
Quos prope praetores hastam gladiumque ferentes,
Atque magistratus queis nomen ab aede, vocati
Et qui quaerendis noxis; et cogitur omnis
Ordo ministrorum fulgens insignibus. Urbis
Sollicitae cura matres plebejaque turba,
Et pueri studio circum funduntur, et arces
Celsaque tectorum pallescens ora senecta
Obsidet. Altus equo ductor patriaeque Senator
Intentis tacitis sic omnibus ora resolvit:
Quo pacis studio patres Urbs miserit hosti,
Quo fuerint fastu Romae ter vota repulsa,
Qua nuper Divûm sacri impietate ministri
Rejecti castris, cives infanda frementes,
Spectastis. Romae natos jam summa salutis
Lex urget; superest magnas decernere ferro
Lites. Nec diris equidem distringimus arma
Ominibus. Testes sunt conscia Numina veri,
Testes Ausoniae populi; non crimine laesa
Gens Volscûm Romae socias prior obruit armis
Urbes; nunc refugit foedus, patriaeque minatur
Excidium. Romae sub signis ergo Deorum
Numina pugnabunt, quae vim cultoribus addunt
Pacis, et oppressos tollunt. Nunc robur avorum
Spectandi tempus; nunc Romae cuspide fusa

Corpora tot Volscûm, tot rapta ex hoste trophaea.
Haec super anne feret Romanus funus inultum
Larti, tot ferro cives equitesque jacentes,
Totque duces Urbis, latiae tot lumina gentis
Extincta? Haud ita; nos primi capita alta feremus
In muris; primos stat Volscûm sumere poenas,
Et durum virtutis opus perferre. Recedat
Qui non romanum deses pulchrumque putabit
Dura pati; socium se Volscis addat, et hostis
Turpe jugum subeat. Dum vitae luce fruemur,
Nos ferro Volscum, nos insectabimur igne.
His animos magis accendit virtute calentes
Posthumius. Pontes et propugnacula jungit
Pars Jani in clivo; pars anxia ligna molaresque
Et belli moles supra pomoeria torto
Fune trahit; totam puerique senesque per Urbem
Hastarum gestant fasces contosque trabales
Ac saevos ignes. Concordi mente Senator,
Austerus praetor, Consul sonat ipse flagello,
Atque graves armis tarpejam vectat ad arcem
Currus; it circum mixtus cum plebe Sacerdos,
Pondera fertque manu, qua Divis thura solebat.
Nobilitatis abest invisa superbia; livor,
Civilesque tacent rixae, vacuumque tribunal
Omne silet. Longis remeant in corpora vires
Debilitata malis, et mens tot millibus una.
Nec cinctae tantum vallis et milite et armis
Repletae turres apparent, moenia, colles;
Ast humiles inopum sedes, ac tecta superba
Ultima bella parant; cumulantur culmina celsa
Dejiciendis supremo discrimine saxis
Et tignis; fodiuntque fenestras pariete, tutas
Hastas utque faces jaciant. Fodientia scalpra,
Malleus impactus, cuneus, crepitantia plaustra,
Et serrae stridor, rupes, et robora tracta,

Impetus atque virûm clamor, strepitusque viarum,
Et varii motus animorum foedere amico
Ad Romae auxilium tendunt patriaeque salutem.
Hyblaeum veluti vario concorditer agmen
Indulgens operi fucos praesepibus arcet,
Purpureosque metit flores et flumina libat,
Spiramenta linit tectorum, et glutine complet,
Progeniem nidosque fovet, miroque labore
Excudit ceras et mella tenacia fingit.
Roma, vocabaris quam pulchre martia proles!
Non minus atque virûm pectus, discrimine summo
Faemineus patriae sacro comburitur igne
Coetus, cui pietas insignis pectore flagrat,
Atque superbus adest exquisitusque doloris
Sensus; et assumit curas operumque labores
Pars conjuncta viris; pars culmina celsa Palatî
Scandit; Aventino descendit turba solutis
Crinibus; ast aliae Exquiliis in montibus errant,
Aut in Vimineis obductae vestibus atris
Gestantes ulnis pueros, hinc templa Cybeles
Structa palatinis ultoris munere Bruti
Clivis turba petit plebejo sanguine creta.
Ast aliae lacrimis rorantes lumina fanum
Eductum pietate Numae Vestaeque dicatum,
Aut sacra Junoni, cypriae seu limina Divae,
Aut quas erexit Latonae Servius aedes
Intrant implorantque Deos, arasque lacertis
Nunc complectuntur, nunc signis oscula figunt;
Et tollunt manibus natos, et fletibus ora
Rorantes Superos orant, pia lumina saltem
Convertant nulla foedatis labe puellis.
Haud tantus forsan turbavit pectora terror,
Quando sabina manus tarpejas ceperat arces,
Aut cum Janiculo Porsenna tonabat ab alto.
Praeclarus matrum coetus Capitolia summa

Incessum lentus, pallens os, pectora moerens
Scandit, marmorea persolvens thuris honores
Aede patris Divùm; tum summi nobilis uxor
Virgini aequa viro facundo pectore fatur:
Summe parens hominum, facinus qui fulmine terres,
Virtutisque caput cingis splendore, quousque
Hostilis Romam premet ira? Quousque rebellis
Tot socias urbes sternet, tot mittet ad orcum
Illustres animas? Armorum conspice nimbum
In nostras arces properantem; cerne latinos
Sanguine respersos campos, suspiria, fletus
Exaudi; fastum tua dextera conterat; ora
Ostende, et facinus nebulam ceu disjice. Per te
Non Urbis muros evertit turbo sabinus,
Non aequus, non etruscus, nec volsca procella,
Jugiter irrumpens. Jam funera prisca noventur;
Volscorum dele nomen; nam saevus ut olim
Hostis, nos aeque fidi, tua dextera semper
Omnipotens; duce te surgunt teque auspice turres
Urbis, te late victrix haec auspice stravit
Gentes. Sacra ruent ergo tibi moenia, et ingens
Gloria Romulidum? Septenis collibus ergo
Barbarus insultans regnabit? Dissipet eurus
Omen funestum; pietas tibi pectore summa
Flagrat; Roma vocat patrem, neque corde paterno
Excidium versas Urbis. Sic illa rogabat.
Ingenio has inter praeclara Valeria flebat;
Illa genu, illa caput flectens et lumine clauso,
Consertis manibus fundebat vota precesque;
Nunc se prosternit, tundit nunc pectora palmis;
Ecce repente, latens veluti si pectora Numen
Afflaret, vultum tollens stetit abside templi,
Atque manum tendens, loquitur mihi Juppiter, inquit;
Me Deus incendit; Deus est, qui verba ministrat.
Audite, illustres matres, quibus astra decoris

Aeternum servant. Pro nobis Numina; nostris
In manibus pacis spes omnis; libera Roma est,
Si mox quaeque pedem moveat quocumque vocarim.
Faemina num praestet, quod vir molitus inani est
Cura? Pauca refert tum tollens ora Sabina
Consilio pollens, Appî lectissima conjux;
Ad quam non paucis sic ore Valeria: verbis
Et lacrimis opus est; non vis ferrumque cruentum,
Sed pugnabit amor; nil sancto obstabit amori.
O quarum pectus patrio succenditur igne,
Haeredes matrum, quae restinxere sabina
Bella, procul gemitus; ingentes namque Deorum
Concilio victae causae; pax alma redibit.
Pontificum patrumque sibi non arroget agmen
Incoepti tanti partem. Veturia Cajo
Quae vitam tribuit, patriaeque incendit amore,
Haec in corde ducis sopitos una ciebit
Ignes; haec matri servatur gloria. Sicut
Delapsum numen caelis, in castra repente
Nobiscum mater descendet, et omnia versa
In melius; pulsis tenebris aurora micabit
Pulchrior. En Volscûm legio stupefacta; furoris
Extinctae flammae Marcî virtute. Frementes
Antiacos plausu muros et littora, laude
Divorum magnae Romae resonantia templa,
Cunctaque saecla decus nostrum geminantia cerno.
Ergo quid ancipites? Matris properemus ad aedes,
Et Divum mentes pandamus; callis apertus,
Aeternaeque salus Urbis secura. Loquenti
Exardent vultus, turget cor. Laeta caterva
Hos clamat sensus altae tibi Numina Romae
Inspirant. Alacres, prior illa e limine gressûs
Extulit, hinc reliquae vertentes pectore plura.
Ast inter strepitum armorum populique labores
Infelix moestis inclusa Volumnia tectis

Ingenti cura jactatur; namque tribuni,
Atque timet vulgi ne denuo conflagret ira;
Nec sua, sed prolis quatiunt discrimina pectus,
Pro cujus vita maternum laeta cruorem
Funderet. Illa timet, populi violentia natos
Ne ruat in miseros non lenis patris; et omni
Consistens vocum sonitu, nunc arrigit aures,
Nunc vertit caris lacrimantia lumina, caelo
Nunc tollens exposcit opem, nunc anxia flagrat
Clam fugere, et natos et se mox sistere Cajo;
Innocuis caecas nunc circum tecta latebras
Sollicito quaerit gressu; ceu septa corona
Venantum trepidans nemorosa cerva caverna,
In qua lac sugunt catuli sua cura tenelli,
Nunc natis trepidat, nunc turbis lumina figit,
Nunc stat, nunc errat replens plangoribus auras,
Passim et poscit opem. Prolis tunc anxia templis
Tyndaridum Veturiadis se condere conjux
Constituit; miserae menti spes namque salutis
Illac effulget. Quare comitata ministris
Nutrice et pueris properat, tacitumque penetrat
Antiquae conclave socrus prior ora resolvens:
Cernis ut in cunctos ultoris dextera Marci
Se immittat; contra cunctorum dextera in ipsum
Inque suos; secura domus non amplius haec est.
Non procul hinc aedes Marcì monumenta, Regilli
Ad litus fractis Tuscis; ad Castoris ergo
Migremus; vulgi cum nunc deferveat ira.
Hos miseros pueros votiva tuebitur ara
Tyndaridum. Mortem spernens excedere sede
Antiqua renuit mater; sed valdius illa
Vultu et lamentis miserandis instat et urget,
Et parvi tendunt oculos palmasque nepotes,
Et famuli et nutrix, ne cuncta evertere secum
Vellet; proposito illa tenax at inhaeret eodem.

Digitized by Google

Tum natis mater formidans damna morarum
Implorat veniam, socrus curamque ministris
Credit; tecta caput lino candente, decoros
Uda oculos lacrimis, manibus trahit ipsa puellos,
Et gressus effert e limine; pone secutae
Sunt dominam miserans nutrix, ac Tullia pulchros
Ampla oculos. Gradiens natis sic illa profatur:
Si minus arderent vos matris corda, vererer
Nunc minus; at matris pectus minor ureret ignis,
Ni vester sine fine parens haud dignus amore;
Vita nec in votis mihi; sed vos reddere patri
Incolumes, pueri; vicinam properemus in aedem,
Quam meminit victis erectam Roma superbis
Regibus ob Marcì robur. Clarissima summi
O patris Soboles, quae nobis lumen amicum
Funditis, hos pueros vestro sub numine sisto
Conspicuos vestra, si fas est dicere, forma;
Hos festino parens sacras adducere ad aedes,
Iras ut contra vulgi sint ferrea turris.
Vix vestra attonitis candentia sidera nautis
Effulgent, saxis agitatus defluit humor,
Stant venti, fugiunt nubes, pontoque recumbunt
Fluctus; fortunae sic o sic, astra benigna,
Immeritas mulcete iras, et numine vestro
Asservate domum Marcì! Memori ipsa quotannis
Pectore candentes jugulabo pinguibus agnos
Aris. Haec orat; fida et nutrice secuta
Passibus incertis errat, natisque paventem
Vox omnis, pulsusque pedum, levis excitat aura.
Jamque Forum propius tendit; tunc obvius illis
Fit Furius Cajo longo conjunctus amore,
Et prior aggreditur: quo, moesta Volumnia, tanto
In sonitu belli, pueros quo proripis anceps?
Fare age; dixit, opem cupiens ita ferre relictae:
Quid petis? Unde furor? Tunc amens illa timore;

Si mactare suos ardes, cum sternere Cajum
Non valeas, miseris ignosce, effunde cruorem
Matris; foedati nullo isti crimine crescunt
Ad patriae columen. Tum Consul: siste moveri;
Non odium ducit, solandi at pulchra voluptas
Quam dederunt homini Dì praemia grata laborum.
Illius ad mentem revocat, se foedere prisco
Marciadis junctum domui, Romaeque decoros
Mores in miseros pueros haud vertere tela.
Turbato sensim componit pectore fluctus
Talibus, atque animum reddit; fandique peritus
Hortatur remeare domum, magnamque parentem
Solari; illa minus trepidans ad tecta recurrit,
Imperturbatae socrus atque ora revisit.
At lentos vertens turbato pectore ad arces
Tarpejas gressus haec secum Consul: acerba
Invidia quotnam rumpuntur castra, quod Urbi
Arridet dudum vultu fortuna sereno!
Quot cupiunt animi hoc vitam traducere caelo!
O si spectarent haec propter moenia! Pulchro
Heic libertatis delusum nomine vulgus
Illorum saevis qui praebent foenore nummos
Arbitriis premitur, misero qui libera linquunt
Vix verba et lacrimas; heic impia porrigit ensem
Lex in progeniem patri, dominoque feroci
In famulos; jugi heic vulgus succenditur ira
In patres, patres in vulgus; surgere numquam
Cernitur heic pleno phoebaeus lumine vultus;
Assiduae hoc caelum nebulae sonitusque procellae
Turbant. Summe parens Urbis, qui pace beata
Caelorum resides, da se componere Romam,
Ut non tam belli quam pacis luce coruscans,
Unius imperio patris sub lege quiescat!
Nox longa autumni interea caligine terras
Abdit; flat boreas; gelidas velatur ad Arctos.

Nube repente polus; surgens haec curva superne
Incumbensque orbi, qui caelo terminus, acta
Ventis ad zonas aequantes lucibus umbram
Tollitur. Hanc radians circumdat desuper arcus,
E cujus gyro nigraque e nube columnae,
Pyramides, fornix aurata, argentea scena,
Vestibuli, facies flammarum mille coruscae
Aeris in campis se attollunt deficiuntque.
Est a mirandis interdum cernere nimbis
Scintillanti orbes immittier undique cauda
Fulgoresque citos; atque increbescere murmur
Auditur; festi ceu quos ars excitat ignes
Hinc atque hinc saliuntque ruuntque sonantque per auras;
Inde plagas boreae rutilantibus ignibus uri
Attonitis se offert oculis, ut lumine primo
Aurorae rubrum nubes ardere videntur;
Aetas haec monstrum borealis nomine signat
Aurorae, sapiens nec damna veretur ab illa,
Quam condit naturae non penetrabile velum,
Quamque movet forsan radians electricus ignis.
Vana superstitio tremefactam concutit Urbem,
Instat et, ut vates poscant oracula libri,
Qui servabatur veluti delapsus ab astris.
Obtulerat non nota manus, multoque redemit
Auro Tarquinius chartas sublimeque carmen,
Numine quod spirante sacro cecinere Sibyllae
Euboicis olim Cumis, Delphisque, Samoque,
Ac in erythraeis oris. Haec Roma colebat,
Cumanam quae fama volat scripsisse Sibyllam,
Selectisque viris servanda incluserat arca
Marmorea; cuiquam nec fas oracula sancta
Poscere, sacrilegaque manu reserare volumen,
Ni quando luctus instant caecique tumultus,
Aut armis resonans agmen contendit ad Urbem.
Tristia reddebant autem tum verba rogatae

Digitized by Google

Chartae, non multo post reges urbe repulsos
Finitimos populos fortes ductore rebelli
In patriam late straturos arma Quiritum,
Si temere campis signa inferrentur apertis;
Hinc multo sacram tutandam milite Romam
Sternendosque truces celsis a turribus hostes;
His Divûm monitis patrum mens docta regendi
Ad pugnas tutis e muris pectora cogit.
At mutabilior ventis plebs conflagrat ima
Iris, atque ciet strepitus, vocesque minaces
Nocturnis Marcì sub tectis; turba sed ingens
Nobilium sacrum miserorum servat asylum.
Surgit ad ora Fori regis fundata sabini
Aere, nepos ingens quam parvam Cajus habebat,
Arboribus sedes tecta, et secreta recessu.
Tota pervigilans heic nocte Volumnia mater
Natorum circa stratum, qui pectore toto
Proflabant somnum, errabat; pulsare videtur
Sanguineo gladio vis vulgi saepe paventes
Portas; dat gemitus, et saevo pulsa timore
Corda micant; puerosque vocat, taedetque vocasse,
Et sese retrahit, mediaque in voce resistit,
Ac tenebras odit; longa ceu nocte tenellis
Incumbens natis, e nido colla frequenter
Protendit caelo vestigans lumina passer,
Ut dulces parvis escas inquirat in arvo;
Sic manet infelix, lumen scintillet ut Eos,
Qua fugiens intra pastorum tecta quietem
Inveniat. Tandem cervicem humerosque silentem
Natorum in lectum curis somnoque gravata
Forte reclinabat; cum turbant somnia mentem;
Undique namque videt torvos irrumpere vultus;
Ceu pavidam tumidus Romam resonantibus undis
Excurrit Tibris, sic turbas currere ovantes
Vulgi, jamque suae frangentes limina sedis
Digitized by Google

Cernit, et immanem Brutum mucrone petentem
Dilectos pueros, et supra pectora ferrum
Tollentem. Crines horrent, tremor occupat artus:
Verte in me ferrum, clamat, me confice, non hos
Innocuos. Fatur vix haec exterrita mater,
Somnus abit tenues clamore fugatus in auras;
Ipsa tamen gelidis manans sudoribus amens
Vix oculis credit non laesos vulnere natos,
Sollicitaque manu puerorum corpora tangit;
Tum sic illacrimans: heu conjugis aspera fata,
Cui nullam donent dulcem bona Numina prolem!
Asperiora, ferant haec cum Dì munera! Quonam
Abscondam natos infelix mater ab ense
Plebejo? Effusis sic rorat fletibus ora.
Et jam luce nova Phoebus repleverat orbem,
Atque alacres lectum linquebant frater uterque;
At Quintus puer exsultans penetralibus effert
Purpureis galeam pennis atque aere decoram,
Quam genitor tulerat primo in certamine victor,
Et stans ante genu maternum: quomodo nutant
Atque rubent cristae! Quam lucem curva remittunt
Aera! Caput grandi fatus puerile tegebat
Casside, cervicem quassans et laetus in orbem
Incedens; sequitur frater, galeaeque micanti
Saepe manus jacit, ut cingat sua tempora. Cernens
Conjugis exuvias mater mage fixa dolore est,
Et longis pulsat singultibus ilia. Quintus
Tunc annis major sermone silentia rumpit:
Da veniam, mater, puero, qui pectore toto
Te colit; aeternum heic clausi lugebimus? Eccur
Nos non accipiunt patris tentoria? Fortis
Si dux pro nobis, cujus trepidabimus iram?
Jam tempus lacrimas abstergere, currere apricos
In campos, stimulis et equos agitare frementes,
Imperiumque ducum strepitumque audire tubarum,

Et claros atavos imitarier. Inquit at illa,
Audacis gladios turbae durosque tribunos
Sistere se densos contra, ne limine portae
Marciadis mater, conjux, natique rebellis
Evadant civis; tum fudit pectore vocem:
O si tranquillae duxissem tempora vitae
Vestales inter, vel nunquam luminis auras
Vidissent oculi, nunc anxia pectora curis
Pro sorte innocuae non essent prolis! Acerbum
Heu nimium fatum! sapiens clamore vocata
Os graviter Marcì mater penetralibus effert;
Illa sed a cura vexata haud verba refrenat:
Horrendam cernis qua mergor mater abyssum;
Ante ducis magni conjux, et maxima patrum
Cura, decus Latii, Divûm majora putabam
Gaudia vix caelo. Contempta, invisa rebellis
Nunc Marcì conjux, nec conjux, tempora vitae
(Horis jam quartus venit labentibus annus)
In tenebris luctuque traho; sed damna silendo
Ferrem; nunc caedes horum cervicibus atrox
Imminet; hoc animus non suffert matris. Adoro
Hinc te, te solam, cujus sapientia ferre
His valet auxilium, sive intra rustica tecta
Sive aliter servans injusta a cuspide plebis,
Audis quam nostras ad sedes dira frementem.
Immemor o patriae pectus! Te dextera Marcì
Servavit toties; ingratis et ruis armis
Innocuam Marcì in gentem; te fulmina Divûm
Dira manent. Tales lacrimosa Volumnia questus
Mittit, cui veneranda socrus: mens aegra timore est,
Qui patriae suadet convertere terga. Furente
Turbine non animus cecidit sic noster; et olim
Romuleas pressit non haec ignavia matres.
Cum sis e multis a me selecta puellis
Uxor Marciadi, contende, ut Roma legenti

Digitized by Google

Plaudat, ne duplex mea vexet pectora moeror,
Quod Cajus patrios in muros verterit arma,
Et quod fracta malis tanti cadat exulis uxor.
Moltibus haud Divis solemnes reddit honores
Martia Roma, velut gens barbara; fortia Romae
Numina convertunt in segnem lumina torva,
Et plectunt sponsam, cui sunt sua limina cordi
Prae patriis tectis; hinc dextram fortis Horatì
Moverunt, jacuitque soror, quae flebat amarum
Posthabita sponsum patria. Tunc illa severas
Romulidum leges, quas a majoribus hausit,
Commemorat, patriam vastum velut esse gigantem,
Cujus sunt artus cives; virtutis honorem
Esse sacrae patriae vitamque suosque vovere:
Sic agmen densum, rigidi et constantia Bruti
Immortale decus meruit, nomenque perenne.
At formosa nurus succensa a prolis amore:
Vis ita si fati, si Romae ferrea jura,
Funditus ut ruat invicti domus inclyta Marcî,
Praecipiunt, fugiam curnam irreparabile fatum?
Est heic, est animus, qui vitae munera spernit.
At si vis populi puerorum frangit asylum,
Naturae tunc jussa sequar, latebrisque domorum
Abscondam prolem, proque ipsa pectora nuda
Exponam ferro; morti sic lumina claudens
Non miseras cernam caedes, tantoque dolore
Non premar. Haec dicens tollebat lumina caelo
Ceu qui vota facit, praecoci ut morte peremptus
Non tristes videat casus cladesque futuras.
At Marcì genitrix mentem conversa saluti
Romae, flebilibus verbis non porrigit aurem,
Auxiliique genus varium sub corde revolvit,
Et non dimittit summo in discrimine mentem.
At Veturiadis monitu pars agminis ingens
A Tullo lecti festivis gressibus Urbem

Contendit versus. Firmatos membra labore
Horum non paucos donat fulgentibus armis
Pontia, quae surgit mediis in fluctibus inter
Oenotrides contra Circaei culmina, campis
Et populo dives, studiis atque aspera belli:
Succedens acies castris invadit ovantes
Complexu socios. Cajus nam mente sagaci
Incursus versans et proxima bella sub Urbis
Moenibus, a tergo consurgere posse tuetur
Tiburis hastatam pubem, quae distrahat arma,
Atque vocet volscas lethi in discrimina turmas.
Hinc exhortatur vino epulisque refectam:
Vicinos ite ad tumulos, qui strata viarum
Ad tiburtinos longo ducentia tractu
Muros prospectant; illic attendite belli
Fortunam, poscat si tempus, vester ut ensis
Nos juvet, herculeamque simul perterreat urbem.
Sic ait; ast olli pinus longeque coruscos
Quassantes clypeos voces ad sidera jactant,
Invaduntque viam pulsu tellure tremente
Quadrupedum peditumque; regit dux Fulvius agmen
Acri vectus equo, pulchris quem Vulcia muris
Eduxit; collis jam scandit culmina jussa
Volsca cohors, spectatque hostilia moenia contra.
Cornua tum resonant et buccina. Fulvius, artes
Augurii miras docuit quem Tuscia, cernens
Murorum pinnas, moles, pugnamque parantes
Aeneadas, aperit fatis sic ora: sinistro
Stringis tela, furens Urbs, omine. Quantus equorum,
Quantus adest pubis sudor! Quot funera genti
Trojugenae impendent! Clypeum galeamque Gradivus
Et currus rabiemque parat. Protecta superbis
Moenibus haud saevas hastas et spicula Volscûm
Effugies; sero foedabis pulvere crines.
Non fortis Lartì, non Cossi exangue cadaver,

Non equitum stratas turmas, luctuque latinas
Consedisse urbes cernis? Non dira frementes
Ausonios audis? Metuendus mente manuque
En Veturiades te ferro invadere flagrat;
Cui quas oppones acies, murosve, ducesve
Belligerare pares? Aut quos in vota vocabis
Divos? Marciadi mentem viresque secundas
Sufficit ipse pater Divorum; suscitat ipse
Contra te Superos. Ni poscas foedera, Volscis
Juppiter ipse dabit belli vocem, aegida saeva
Horrendum quatiens dextra, male percitus ira;
Et muros ascendet ovans, jaculabitur ignes
Terribilis Cajus. Sic fatur; concutit hastas
Agmen, et inspiciens irato lumine Romam
Dentibus infrendet. Tum mandat maximus armis
Marcius, ut vigilent equites prope Tiburis agros,
Et celeri moneant cursu, si moenia linquat
Tiburtina cohors. Forti quin mittitur urbi
Nuncius Anthaejus, ne portae limine pubem
Educat, contra Romam cum pugna flagrabit,
Testeturque Deos; alias Aniene rigatos
Vastabit volscus campos, et diruet arces
Ensis. At in Marcî non pectore deficit ardor;
Huc illuc sese vertit, sociosque fatigat
Bella parans; multam ad noctem non castra quiescunt.



LIBER DECIMUS

ARGUMENTUM

Marcus et Lucilius Romam noctu redeuntes referunt navale praelium et expugnationem Ostiae, et dum Tribuni nituntur excitare turbas, Senatus pandit ingentes cellas frumento et sale refertas. Nuncius a Sulmone missus breviter exponit Marcio eamdem navalem victoriam, ex qua vehementer gaudent agmina. Acies Antii, et urbium volscarum indignatae quod muris claudantur, commigrare parant ad Marcium. Matres vi precum in suam sententiam Veturiam pertrahunt, et omnes simul egressae Consulibus exponunt propositum adeundi Marcium; illi Senatui referunt, et patres permittunt earum egressum. Multi bellatores confluunt ad castra Marcii, qui mente versat quomodo novam in Urbe excitet seditionem. Anthaejus in castra reversus refert Tiburtinos jurasse se non educturos acies e muris in oppugnatione Romae. Tullus castra ingreditur, et offert Marcio pretiosa munera, novas acies, et pacis bellique arbitrium. Cohortes admirantur volsca praelia caelata in clypeo; sed Cajus eas hortatur ad novos belli labores ineundos.

Nondum lucebat; turbato pectore vulgus
Lumina demittit sero defessa sopori.
Prospiciens supra Capitolî immobile saxum
Insomnem noctem traducit Curia, sicut
Navita, cum mugit boreas pelagusque tumescit.
Conjunctas populi vires et brachia prompta,
Quae simul accurrunt ad patria tecta tuenda,
Non tristi patres aspectant lumine, caelo
Et palmas tollunt, jugis concordia regnet.
Porta sed ecce sonat, qua se via pandit ad urbem,
Ad cujus muros fluvio Tiberinus amoeno

In mare prorumpit. Custos: ad limina quisnam?
Clamat; et obscuras sese vox reddit ad auras:
Magnanimi Marci Lucilius. Ocyus arci
Dicta refert miles; dum Consul fluctuat anceps,
Magnanimi mandant patres ut limina forti
Pandantur civi. Resonat jam fama per Urbem,
Ac taedas manibus stringens e limine cedit
Anxia turba citis gradibus, clausasque morata
Ad valvas vario curarum fluctuat aestu.
Tum resonae trepidi converso cardine portae
Consulis ad nutum panduntur. Amore videndi
Sese urgent turbae, ceu vento agitantur aristae,
Erigit inque pedes se quisquis, collaque tendit,
Cum celsi surgunt in equis Lucilius, acer
Et Marcus genitor, qui protinus ante verendos
Patres desiliunt ad terram. Martia vero
Mater, quae caros fert fixos pectore vultus,
Impellens turbas manibus vi tendit ad illos;
Nunc Marci collo nunc nati brachia circum,
Et dat laetitiae lacrimas pro sospite vita
Amborum. Stringunt reduces ad pectora patres
Turbaque amicorum; famuli dant oscula palmis.
Jam subeunt portas, et circumfusa ruebat
Turba Foro mirata duces stimulansque, rogansque
Plura. Manum tendit, mandatque silentia linguis,
Oreque non laeto fatur pater inclytus: urbem
Contra spem cernens nondum recludere portus,
Impellit furiis agitatus remige classem,
Suscitat ad magnos ausus, sociisque suam vim
Difficiles aditus afflando fervidus hostis
Tentat; sed romana ruit vasto impete classis
Spicula more nivis fundens, hostemque repellit.
Anceps pugna diu; volscas miranda sed urget
Remigis ars naves, et Sulmo primus in ora
Irrumpit portus pinu, Volscique sequuntur

Vocibus horrisonis. Miseranda caede carinae
Romuleae implentur; gemit urbs. Ferus arripit hostis
Scalas, descensumque parat. Nos agmine toto
Irruimus, primasque acies procurrimus ante;
Atque illi plangunt fixi tabulata sagittis,
Hi ponte in praeceps volvi, mergique profundo
Cernuntur. Scalis ter descendere; volucres
Conversis humeris ter conscendere biremes.
Turbida circumfert incertus lumina Sulmo,
Armigerumque videt, praestantem robore, vultu
Formoso juvenem, fidumque, cruore rigatum
Ante pedes auras extremas ore trahentem,
Et pietate gemit. Flagranti percitus ira
Desilit in terras scalis, versusque cohorti:
Linquitis an tanto vestrum discrimine, fatur,
Ductorem? Dictis ardent, et puppibus olli
Nimbi more ruunt. Nostrae non terga phalanges
Dant; at in attonitas subito mors, vulnera, luctus
Vertuntur; fatis eheu! jactamur acerbis!
Caesorum testor manes, et conscia ponti
Numina, me natumque meum nec tela nec ullas
Volscûm vitavisse vices. Aequare dolorem
Quis valeat verbis, cum vidi funere mersam
Et lacrimis urbem, florentem munere nostro
Atque opibus ponti, Romae tot dona ferentem?
Quis referat, quantum patriae nos fata premebant
Viribus amissis sociorum? Munere Volscûm
Missi, quadrupedes urgemus moenia versus
Ad patriae columen; medio cum tramite: state
Heus! equites, clamant armorum luce vocati
Marciadis vigiles; et nobis milite septis
Haud spes ulla fugae; sed cum virtute cadendum est.
Irruimus jaculis; nostro nec concidit unus
Ictu. Volscus equi frenum, cui terga premebam,
Arripit interea laeva. Dum pectus in hujus

Extollo ferrum, telum librabat ab aure
In nostros humeros alter. Cum sanguine vitam
Fudissem revolutus equo, ni filius hasta
Fodisset Volscum, cui defluxere repente
Tela manu; patrem pius hic a morte reduxit
Et Roma et proavis dignus. Nunc pectore forti
Ad casus alios subeundos adsumus ambo,
Et gremio ferimus pugnarum vulnera testes.
Haec fatus nudat gnati et sua pectora ductor,
Et digito monstrat plagarum signa cruenta,
Quae spectans populus voces ad sidera tollit,
Et Marci et prolis virtutem laudibus ornat.
Magnanimas celebrat tum lecta caterva juventae
In patrem nati curas, cui flagrat amicus
Virtutis rubor in malis; circum undique fusi
Carminibus tollunt juvenem, quernisque coronis,
Quod patri vitam dederit, pia tempora cingunt,
Atque domum stipant, ubi laeto lumine mater
Sobria sub resonis celebrat convivia tectis,
Sanguine conjunctosque vocat fidosque sodales.
Densa Foro interea populi vis aequore clauso
Aeneadis clamat famis impendere flagellum,
Litore lecta maris portas non amplius Urbis
Dona subire salis. Vigilans sapientia patrum,
Quae longe hos motus prospexerat, horrea pandit
Cumarum, Latii, et spicis repleta sabinis,
Et vastas cellas, capiunt quae multa salini
Ponderis. Ut populant ingentem farris acervum
Formicae; properant acies nil ore trahentes,
Frumentum tardo gressu pars ore reportat;
Sic vadit remeatque gravatis pondere grato
Turba humeris, siccasque studet supponere saxo
Et tostas flammis fruges condire salina;
Hinc plebs donorum dulcedine capta Senatum
Laudibus ad caelum tollit, paulumque futuri

Digitized by Google

Provida, bellorum a curis avertere mentem
Gaudet. At obscurum sub noctis cursus ad Urbem
Lucilî et Marci, Volscûm victoria, fracta
Romulidum classis vigiles resonarat ad aures
Marciadis, laetis oculis qui coepta juvari
Spectat; nam clauso cerealia munera ponto,
Aequoreique salis removentur ab Urbe gravati
Currus. Ad Tiberis fauces tum multa volutans
Dux equitem mittit, qui protinus excitet agmen,
Sulmonemque vocet sub moenibus Urbis ad acres
Nisus; Romulidas etenim molitur ubique
Armis obsepire, ruant ne limine portae,
Aut sociis Romam pandant; hinc pectore versat,
Ut si fata vocent, succedat vivida pubes
Instaurans pugnam, et victa dominetur in Urbe.
Ast acies Anti servantes moenia in urbes
Volscûm, Marciadis capientes aure triumphos
Unum animo spectant, bellique ut numen adorant;
Crescit amor famae juvenili in pectore, muris
Seque fremunt clausos, gladios ac tela ferentes
Pondus iners lateri; sine luce hinc linquere tecta
Saepe animo volvunt, vitam et pro laude pacisci.
Jam sera autumni nitido patefecerat ortu
Purpureas aurora fores, rebusque colorem
Sol dabat, aethereos campos terrasque jacentes
Vitali radio spargens et saecula ducens.
Ecce autem matres fidenti protinus ore
Angustum subeunt tectum, quo maxima degit
Virtus. At visu perculsa Volumnia surgit
In manibus puerum gestans, et pallida vultum,
Quis novus in miseras aedes concursus? An instant
Innocuis pueris nova fata immitia? Dudum
O dulces aegra matres nil mente revolvo
Terrores praeter gelidos. Absiste moveri;
Spes non temnendas ferimus. Tum corde vocatis

Numinibus palmas utrasque Valeria tendens,
Gratia facundo cujus non deficit ori,
Haec Marcì matri: noscis, clarissima, noscis
Insignem pietate virum, cui munera vitae
Donasti. Dudum non vultus ille suorum
Cernit, nec voces audit; tum fomite nullo
Antiquus defervet amor. Nunc ocyus ergo
Os comitata tuis demonstra, orato, reprende,
Erroris que vias mox deseret ille. Severus
An cani temnet capitis sanctissima verba,
Quae a noxa revocant, contemnet verba parentis
Marcius? Indecores sane vis franget amoris
Illius somnos; matris dabit ille querelis,
Quod patribus renuit; nuper mihi Juppiter ipse
Haec aure insonuit, dum Numen voce vocabam
Tarpejo in templo. Quod te per Numina Romae,
Per patriae sacrum, nati per fulgida facta
O generosa subi Volscùm tentoria mater
Nobiscum; Romae sis quaeso certa salutis
Anchora, dum saevit sine more procella. Manebit
Immortale tibi nomen, licet obstruat aures
Non mollis ductor votis. Doctissima fandi
Sic ait, atque preces exornat laudibus. Instant
Illustres fletu matres; at conticet illa
Componens secum non pauca, atque haeret in uno
Obtutu; et Superùm mentes incerta legebat
In matrum precibus. Clari tunc pulchra resolvit
Ora ducis conjux: nostris ne fidite Cajum
Inflecti votis. Postquam fera moenia liquit,
Non idem Cajus; pietas antiqua refugit
Ex animo. Horrendum nostras quoque personat aures
Vox evadentis tecto: sine conjuge conjux,
Stas sine prole parens, pueri sine patre; repellit
Vis, scelus a patria raptat me saeva procella
Immeritum; te, Roma ferox, te triste manebit

Supplicium! Fatus natos retro impulit, almam
Matrem, me flentem; jam quartus volvitur annus,
Nec mihi nec misit matri: salvete: videtis
Num precibus duros animos mollire queamus.
Esto, sed ad Cajum properemus; pectore quasnam
Fundemus voces? Extinctas corde tribuni
Irarum flammas narrabimus? Acrius ardent;
Aut populi clausas dictis atrocibus aures?
Quaeque dies contra clamat; vel pacis amorem
Flagrantem Romae? Bellum sed cernitis ipsae
Jugiter accensum. Dicemus: brachia tende,
O Veturiade, patriae, quae saeva noverca
Nil praeter vitam tibi liquit; desere volscam
Gentem, quae pulsum excepit te more parentis?
Sed Volsci horrendum fremerent et Marcius ingens.
Ne dulces ergo, matres, turbetis amaram
Pacem, quam fletus inter reperire datum; quin
Imo rogate Deos, ut nos premat ocyus angor.
E niveo tollens suspiria pectore tales
Edebat questus formosa Volumnia. Moesto
At manuum sonitu penitus fletuque penates
Faemineo reboant, atque illaetabile murmur
E muris prodit; vici plangore resultant.
Acrius hinc urget, solamque Valeria matrem
Aggreditur dictis, solaque in matre moratur:
Te nihil ergo movent lacrimae fatumque tuorum,
Divorum cultus, Romaeque ruentis imago?
Sic amor in patriam friget tuus? Ergo feretis,
Humanae omnipotens gentis Saturnie custos,
Romulidum Superi ingentes, Divique latini,
Praesidiis vestram nullis procumbere Romam?
Pandite jam portas, cives, solaeque feroci
Victori ardentes patrio occurremus amore;
Jam solas tentare juvat metuenda pericla
Pro patria; e tutis nostrum Veturia fatum

Digitized by Google

Moenibus aspiciat. Stat flere, instare, precari,
Donec vel precibus pellemus ab Urbe procellam,
Aut longo fessus fletu nos opprimet hostis,
Nec dulcem ferro patriam flammisque ruentem
Cernemus. Sapiens haec ore Valeria fatur
Magnanimo; ast aliae studio, vel sanguine junctae,
Amplexaeque genu geminant ardentia matri
Vota. Puer Quintus, quem torquet cura parentis,
Est visus claras a vertice fundere flammas,
Quas a solerti praesens excirier aetas
Natura reperit, magno cum pectora flagrant
Affectus aestu; censebat monstra vetustas.
Natos et matrem subito trepidare timore,
Faemineas turbas plorare, horrere, moveri,
Lucentisque comae restinguere fontibus ignes.
At palmas annosa parens cum voce tetendit
Exsultans caelo: visum, o! Gradive, secunda,
Si puris votis pater Urbis flecteris ullis,
Da, sicut flammae, quae circa tempora Tulli
Hostilì errabant, monuerunt omnia laeta,
Sic hae portendant patriae Latioque salutem!
Haec ait, atque alios versat sub pectore sensus,
Et flentes miserans turbas se tollit ad auras,
Nobilis et famae repleta cupidine: dudum
Eventus, loquitur, tacito sub corde pependi;
Dudum verba noto. Generosa Valeria, Divùm
Dicta refers; agnosco Deos. Me conjugis umbra,
Cum nox involvit tenebris humentibus orbem,
Hortatur dudum: patriae succurre relictae!
Amplius haud pendet mens anceps; Juppiter hac stat,
Juppiter hos animis sensus suggessit; eundum
Quo nos fata vocant; emitur bene sanguine fama.
Tum vertens oculos nurui, quae moesta salutis
Spes ex turbatis animis abjecerat: eja
Quid ploras, fatur, gemebunda Volumnia? Restat

Spes numquam fallax firmae data munere Divûm
Virtuti; cujus si fervet numine pectus,
Spes floret semper. Septam cum vidimus Urbem
Tyrrhenis armis, sine robore Virginis actum
Romanis de rebus erat; terrore replebat
Cocles Porsennam, victricia Claelia tela
De manibus rapiebat: io! Succurrite, matres,
Labenti patriae, clamat, succurrite, virgo
Cujus per sacrum callem sublimis imago
Fertur equo volucri. Meritos miremur honores,
At quoque spectemus graviora pericula. Grandi
Eloquio arrectae mentes stupefactaque corda
Faeminea; hinc clamans tollensque Valeria palmas,
Non est haec ingens, fudit quae ad luminis auras
Cajum, sed vates, quam numine Juppiter implens
Ut stet Roma, vocat; divini signa decoris
Ardentesque notate oculos; qui spiritus olli,
Qui vultus vocisque sonus! Contra illa: silete;
Quaerendus Consul; gravis instat pugna; salutis,
Qua minime sperat, forsan via panditur Urbi.
Sic ait, atque morae impatiens prior extulit aede
Magnanimos gressus; sequitur formosa caterva;
Illae igitur mirum laetae Divisque vocatis
Concussos inter muros populosque feroces
Vadunt, cum spectant oculis in limine patrum
Os Furii Spuriique simul, qui voce manuque
Migrantem retrahunt turbam. Vix agmine crevit
In medio Furius venerandam incedere matrem
Marcî, sollicitas palmas utrasque tetendit,
Attonitae steterunt turbae, voxque excidit ore
Consulis: in tanto si fas moerore rogare
Marciadis matrem, summo in discrimine Romae
Quo tendunt gressus, quae mens, quid laeta caterva?
Auspicio Divûm tibi panditur ulla salutis
Num via? Facundo sed pulchrae laudis amore,

Faemineas cernis turbas ; ne despice ; pectus
Non jam faemineum. Dudum me concitat ardor,
Quem latet an magni nostris Dî cordibus addant,
Ipse sit aut ardor numen me nocte dieque
Exstimulans. Fortes dum tractant arma parantes
Devoti Romae, natum stat adire, videre,
Affari, surget cum Lucifer axe. Senatus
Ad Veturiadem pueros vult mittier? Ibo
Ipsa ego; siqua sui merito fiducia forti est,
Aut ardore precum cives a morte reducam,
Aut ego sola ruam ad mortem (si fata jubebunt),
Roma stet ut sospes. Generosis Consul uterque
Constitit obtutu dictis defixus in uno
Admirans; tandem Furius sic ora resolvit:
O sidus pacis surgens vím turbinis inter,
Si caelo pietas degit, quae talia curet,
Digna tibi Superi, quoniam non possumus ipsi,
Praemia persolvant! Nunc quando est omnia supra
Iste animus, curram, et tantam mirabitur aula
Virtutem. Fatus, propere Capitolia scandit.
Perculit at turbam mirae pietatis imago,
Ex animoque levi divellit turpe migrandi
Consilium, et servata legens vestigia retro
Undique laeta ruit, trepidam vulgatque per Urbem
Afflatas Superis ad Volscum pergere matrum
Turbas, quas ducit Veturia; lumen ab illa
Effulgere spei, quam dux ceu numen adorat.
Excipit haec magno plausu mutabile vulgus,
Atque ruit circum matres, gaudetque videre
Spirantes pacis tranquillo lumen ab ore.
Laudibus interea meritarum consonat aula,
Quae saevo patriae dextras in turbine tendunt.
At qui de parvis non spectat maxima gigni
Rebus in humanis, ceu vasto in corpore mundi,
Nil vanos praeter nisus, et dedecus ingens
Digitized by Google

Cernit in egressu; putat a victore superbo
Temnier imbelles lacrimas. Pars ora resolvens
Contendit famam votis, pacemque parandam.
Pontifices celsi reduces stationibus hostis
Marciadis referunt de cana verba parente,
De teneris pueris, dulci de conjuge; sese
Affectus memorant vidisse micare favillas
Ex oculis vultuque ducis; tum matribus instant
Pandendum limen, placidoque Valerius ore:
Terribilem quassat celsis e turribus hastam
Roma minax; sapiens at numquam foedus honestum
Rejicit. Haud linquat rectrix patientia patres,
Unde sonant atavi; vitentur crimina belli
Et caedes; pateat Volscis ad munera pacis,
Quem non mortales, ast ultro Numina pandunt,
Qui superest aditus; patres nitantur ut atro
Crimine romuleos quassandi turbine martis
Muros se civis non foedet, cujus in omnem
Ingens Ausoniam nomen mansuraque in aevum
Virtutis laus, mirandam qua volsca repente
In lucem verti ex umbris res cernitur. Instat
Pars vestrum clausas ut servent moenia matres?
Omnibus at facilis, quae poscant, janua cedat,
Ut vis addatur votis, quae fervida fundet
Gens Veturiadis. Primum virtute colendas
Custodit caelum turbas, tum Marcius ingens,
Cujus se tanto foedavit crimine vita
Numquam, sublimesque animos sub pectore versat
Praeclari patris sermonem Curia concors
Audit, et aeterno se cingit lumine; namque
Vicini belli minime formidine tacta
Marciadi meritos, licet hosti, reddit honores,
Illius arbitrio tradens vitamque decusque
Matrum. Jamque ferens Consul decreta Senatus
Nuncius it populis, primo Pallantidos ortu

Faemineis portas converso cardine turbis
Pandendas; vigiles patres, dum sidera caelo
Lucent, haud laetam pompam currusque parare;
Extollit voces vulgus, speque ora serenat,
Volvens quid nati possint in corde dolores
Matris, faemineis quae vis in fletibus insit.
Interea erumpit pubes ex urbibus instar
Undarum, Martique parem solumque celebrat
Ductorem Volscûm Cajum; indignata morarum
Tum celerat gressus campis, ut martia magni
Ora colat; magnoque hortante in moenia currat
Romulidum; septis clausum velut agmen equorum
Audito fremitu pugnarum exsultat et hinnit,
Impatiensque morae micat extra carceris antrum,
Et notos equites, ut currat ad arma, requirit.
Non minus Ausoniae variis regionibus agmen
Castrorum portas, nunc quos in montibus altis
Nursia, bellator Frusino, Verulaeque, Velitraeque
Eduxere, intrant; nunc quos Atina nivali
Colle, amphitrites tyrrhenae splendidus Anxur,
Atque Ferentinum, et cerealis Anagnia pavit,
Et solidum muris et campis dives Alatrum.
Multi ubi Fibrenus cum Liri flumina miscet,
Arpinos campos, quod Melphim potat, Aquinum,
Et muros Sorae, nebulosi et rura Casini,
Ausoniaeque plagas alias ac oppida linquunt,
Quae tepefacta vident australia sidera, saevi
Et quae vis boreae quassat; nam grande sonabat
A siculo fluctu ductoris nomen ad Alpes.
Ille oculis lustrans gentes tacitusque recensens,
Majores cernit turbas sua signa secutas,
Quam quae caesa jacet campis; proprioque serenus
Robore tum gaudet numero et virtute suorum.
Hinc agros circum cuneis nitidaque bipenni
Agmen, quod silvam referat, jubet ocyus ire,

Ut protendatur vallum, capiatque recentis
Examen pubis, quam Marcius impiger armis
Instruit assignatque duces, et conficit agmen,
Resque docet belli campisque exercet apertis,
Et simulacra ciet pugnae. Tunc auribus hausit
Extinctas iras Romae, viresque coactas
Ut Volscum pellant. Hinc artes pectore versat,
Quomodo civilis jaciens incendia belli
In Romam, populos divisos opprimat armis.
Interea senior setinus moenia linquit,
Praecipitis quae foecundas Anienis ad oras
Fluctisono vecti pelago fundasse feruntur
Argivi fratres, urbi nomenque dedisse
Tiburis a forti Tiburto. In castra receptus
Hasta Marciadi innixo ducibusque comanti
Contectis galea senior sic ora resolvit:
Tiburtinorum gentem fortemque Senatum
Vidimus, o Marci. Postquam data copia fandi,
Tiburis herculei ad muros quae causa coegit
Narramus; nomenque tuum Volscûmque docemus
Mentes: auditis his maximus ore Catillus:
Marciadis fama plena est Saturnia tellus,
Ductoremque stupet summum Volscûnque triumphos;
Novimus et longum bellum; Superosque precamur,
Ocyus ut volscos animos pax jungat et Urbem.
Has nuper Romae legatus ad arma vocabat
Gentes, ut rueret muris generosa juventus,
Urbem si premeret Volscus. Ni fallimur, aequa
Haec tiburtini patres responsa dederunt:
A gladiis pacem dudum quaesivimus, empta
Et pax a nobis bello longoque labore;
His vigiles populis servamus munera pacis,
Et fidei memores necnon virtutis avorum
Inclusi tectis naturae jussa sequemur
Armis tutantes patriam. Quae justa spopondit

(A patriis muris hostes depellere ferro)
Haec urbs Romulidis, Volscis spondetque, Deosque
In testes vocat. Illius promissa Senatus,
Inclyte dux, audis, nostri quae summa caputque
Sunt desiderii. Setinus talia ductor
Concilio Volscûm fatur; cunctique repente
Tiburis esse satis promissa fidemque vocatis
Numinibus clamant: jam tandem tempus oriri
Sternendi urbanas telis ac molibus arces.
En autem celerans Tullus patresque verendi
Insignes auro lecta stipante caterva
Per campos equitare, pedemque advertere castris.
Marcius exsultans animo ruit obvius illis,
Et premit amplexu generosum ad pectora Tullum;
Alterne patres collo dant brachia circum,
Cum ducibusque cohors; multa et sermone serentes
Marciadis subeunt tentoria. Lumina figens
Tum Cajo Tullus laudes et gesta celebrat,
Auxerit ut nomen, volscae et commercia gentis,
Ut sanctae Cajo latae sint auspice leges,
Ut belli ad miras artes, studiumque cohortes
Finxerit. Etruscas tu flore, invicte, juventae
Prosternis turbas; tu fracto limine victor
Ingrederis pavidas urbes arcesque latinas.
Te tremit ardeatina palus; te moenibus altis
Laurentum, turres Lavini, Setia luco
Horrendo insidiis; nec te rationis egentem
Nocturnis audax Cossus circumdabat armis.
Salve cui similem Latium vel Graecia nullum
Ductorem jactat! Belli pacisque remittunt
Arbitrium volsci tibi patres; tanta Senatus
In te spes uno! Pretiosa en insuper arma
Et non spernendum munus monumenta decoris.
Sic ait; accenso voces at pectore Cajus
Reddit: nulla dies me Volscis arguet unquam

Immemorem; dubias res inter candidus ore
Consilium promam; subeam si saeva pericla,
Non animus deerit mihi; non industria, cogar
Si rigidos tolerare labores. Tulle sed ingens,
Quas referam grates tibi, qui me faucibus Orci
Ferme demersum, depulsum moenibus Urbis
Urbe, domo socias, semperque recentibus ultro
Muneribus cumulas? Etenim te Numina sola
Promeritis ornare valent; et protinus ornent!
Marcius armipotens memori sic pectore fatur;
Discessumque parans volscas ut temperet urbes
Vir princeps vertit legionibus ora benigna,
Et Cereris tribuit laetis et munera Bacchi,
Tum sic hortatur: Latium vos invidet omne,
Quod duce sub tanto bellum moveatis in Urbem.
Hujus ad imperium pes omnis sistat eatve;
Huic omnes pateant aures; hunc diligat omne
Pectus; et attollet se quantis gloria rebus
Vestra! Nec exiguam partem quoque laudis haberes,
Grai, ni patri nimium matrique dolendum
Te fatum rapuisset! Et has dans pectore voces
Turbatus conscendit equum, lacrimaeque rigabant
Ora senis; Cajus gemitum pius extulit, omnes
Ingemuere acies, et circum triste sonabat
Praeclari nomen Graji. Sed nobilis omni
Dum Veturiades Tullum deducit honore,
Accipiunt versantque manu pretiosa catervae
Munera mirantes, longe fulgentia squamis
Tegmina loricae, galeamque ex aere corusco,
Et gladium cujus capulus fulgore nitescit
Gemmarum vario; et non enarrabile textum
Aurati clypei, quem circum flexile splendet
In lori faciem argentum; caelantur et aere
Inclyta facta ducis miris variata figuris.
Ductores circum densantur et agmen acuto

Lumine spectantes; gaudent et imagine rerum,
Praelia cum cernant, quorum pars magna fuerunt,
Et monstrant digito: en ajunt, en agmina Volscûm
Quae scandunt scalis Lavini moenia; fundunt
Ecce Bolanorum turbas; en limina frangunt
Ardeatina; fores Circaei en milite complent;
En medio clypei moerens caelatur in auro
Ante pedes magni deflexo poplite Roma.
Marcius haec inter celerans in castra reversus
Vix leviter figit mirando lumina scuto,
Ut qui majores versat sub pectore curas;
Tum, non ista sibi tempus spectacula poscit,
Fatur, et his animos succendit ad arma paranda.
Ecce autem clarus Sulmo splendore triumphi
Ingreditur Volscûm tentoria; pone sequuntur
Fulgentes armis, fidentes corde catervae,
Ceu nova quas revocat victoria. Pectore toto
Marciades fortem complectitur; aurea cassis
Vaginaque viro donatur clausus eburna
Aurato gladius capulo. Tum bella moventis
Consilium Marcì tollunt ad sidera castra;
Et Sulmo hortatur socios, ob bella secunda
Tibridis ad fauces ut lauris tempora magno
Marciadi cingant. Ingrata silentia mandat
Plausibus ille; movens gressus tum jussa caterva
Cum Sulmone tenet tumulum, Romaeque minatur,
Qua portae ac celsae conversae ad caerula turres,
Seque viae jungunt quae Tibris ad ostia tendit,
Quae ad muros ducit Laurenti stagna nemusque.



LIBER UNDECIMUS

ARGUMENTUM

Roma nuncio rerum adversarum valde concutitur. Umbro cum equitibus plebejas urit villas, at servat patricias, quod acrem excitat iram vulgi, et omnes ad arma currunt. Patricii benigne excipiunt agricolas fugientes a campis, juvant opibus, armant juventutem. Descriptio Volscorum in castris dormientium praeter Cajum, qui Moenae pandit animi sui cruciatus; at hic prudenter hortatur ad pacem patriae donandam, sed ejus preces rejiciuntur. Cajo vix sopito apparet umbra Graji, qui ad expugnandam Urbem eum incitat. Veturiae sacrificium sub Romae portis, egressusque matronarum. Mane novo Umbro similiter Cajum ad pugnam incendit. Coriolani concio ad Volscos, motusque castrorum; matronarum discessus, et mira earum modestia.

O domus Aeneadum, scandit tua limina fama
Enarrans arces quas Volscûm tela replebant
Milite jam vacuas, Antî clamasse cohortes
Horrisono fremitu: Volscorum spicula deinceps
Uni parebunt Cajo; cunctamque juventam
Belligeram pagis excitam nomine fortis
Commigrasse ducis, quam multae frigore primo
Labuntur frondes silvis, laudesque canentem
Marcî confertim tentoria volsca subire,
Castra calore novo fervere, exposcere pubem
Scalas et moles, et proxima praelia. Saevae
Ast inter voces Romae non brachia, non cor
Torpent, mens concors nullis est fracta querelis,
Addunt et patres factis ad praelia vires.
Jam tacitis labiis atro circumdata velo

Digitized by Google

Expandens furvas pennas surgebat ab ortu
Nox, cui lethaeo perfusa papavera somno
Praecingunt caput. Haud sinitur requiescere Volscum;
Terribili Cajo mora nulla; sed acrius urget,
Opprimat ut Romam collecto milite. Multis
Et jam suppetiis hostem spoliaverat, urbes
Sternendo socias; at pectore plura movebat,
Rursus ut arderet fax seditionis in umbra
Noctis. Per tacitos hinc fundi jusserat agros
Improvisum equitem, ut ferret magalibus ignem
(Qua posset caedi parcens); haud tangeret armis
Celsas nobilium villas; tenditque fovetque
In patres turbae sic corda cienda, vovendo
Quos Erebi Divis conjunctos hoste vocabunt,
Rustica cum fugiens campo fumante caterva
Has referet Romae flammas. Neque crimen inultum
Incensi valli et caedis memor ira relinquit
Marciadis. Jam scandit equum celer Umbro frementem,
Ac equites socios inflammat laudis amore
Et praedae; trucibus respondens vocibus agmen
Funditur in latos campos; ceu turba luporum
Ad valles inter nebulas e montibus atris
Irruit acta fame balantum voce vocata.
At portas linquit castrorum hastilia Cajus
Bina manu crispans, cujus vestigia ductor
Aequorum, fidus Moenas, nursinus et Ufens
Subsequitur; pectus virtute, manusque sagittis
Accincti properant omnes, Urbique propinquant,
Spectatum, campi flammis an moenia bello
Civili flagrent. Herbis et lacte tepenti
Custodes ovium pasti jam candida vota
Extulerant Superis dulcis pro moenibus Urbis
Exiguaque domo; et fessi per membra soporem,
Quem lecto invitat nequidquam dives ab aureo,
Exuto curis carpebant corde; tacebat

Illorum lateri imparibus compacta cicutis
Fistula ; non longe saturae mutaeque capellae
Lanigeraeque jacent pecudes. Sub paupere tecto
Arentes supra frondes dant membra quieti
Agricolae ; falces , rastri , curvique ligones ,
Et fumans focus , extremus quo deficit ignis ,
Casta secus conjux ; pueri stant ubera circum ,
Undique pax cordis , requies dulcissima regnat.
Acriter ecce canes latrare , hinnire feroces
Quadrupedes , clamore equites atque arma sonare ;
Ad terram portae fractis procumbere claustris ,
Undique faemineus questus, fremitusque, fragorque.
At duri agrestes , quorum sub pectore fervet
Aeneadum virtus , caeco in discrimine pellunt
Improvisum hostem , qua possunt ; tigna molaresque
A summis jaciunt hi tectis ; ille bidentem ,
Hic falcem, ille sudem, hic furcam rapit, ille securim;
Quod se inter tenebras manibus rimantibus offert ,
Ira facit telum. Vultu vel pectore fracto
Labuntur Volsci ; contusus tempora saxo
Ipse ruit revolutus equo , dum Lugacus acer
Umbronis frater socios hortatur ad arma.
Obruit at numerus paucos ; rus forte reversi
Ingenuo multi nati patre , fidaque servûm
Turba tegens armis dominos , transfigitur hastis,
Proterit aut miseros lapsos gravis ungula equorum.
Extremos tollunt gemitus super arva vel intra
Angustum tugurì confossi cuspide pectus
Agricolae. Pavidae pecudes rapiuntur ovili ,
A stabulisque boves , ac abducuntur equorum
Armenta , et rastri dentati , ruris et arma :
Frumenti innumeros modios , ingentia ferri
Pondera diripiunt , jaciuntque incendia tectis.
Ceu sonitu accipitris fugiunt cava saxa columbae,
Limina transiliunt resoluto crine puellae

Pectore anhelantes; vulnus pro conjuge passae
Uxores palmis tundentes pectora clamant:
Tantorum pereat scelerum nox testis! Ad Urbem
Tendimus ejectae laribus, quam protinus arma
Invadent Volscûm. Lux o magis atra tenebris,
Quot nobis referes luctus, quot funera! Nudi
Artus infantes jactant ad sidera acutos
Questus, dum matres captant vix aera hiantes,
Et gremio stringunt carorum corpora; nati
Discincti trepidis fessos aetate parentes
Sustentant humeris, illisque sibique timentes:
Aegra pius fratris frater fert corpora, matres
Longaevas pietas natorum. Cynthia caelo
Resplendet; miseri fugientes tecta videbant
Romulidum, sicut nocturnis icta procellis
Pinus quae portum cernit, cum nascitur Eos;
At subiti feriunt crepitus sonitusque ruinae
Aures; et dulces converso lumine cernunt
Involvi fumo flammisque voracibus aedes,
Dispersos campis lapides, ardentia tigna.
Matres et pueri exululant; at turba virorum
Infremit ad portas; et nota voce patescunt
Limina; confertim cernendi currit amore
Turba; vident miseros, laceros crudeliter ora,
Et trepidos artus, nudos atque omnium egentes,
Qui sic vociferant: romanos ecce colonos,
Volsci relliquias gladii Marcîque furoris!
Estne super telum, quod non conjecerit in nos
Ira Deûm? Direptae, incensae, a culmine stratae
(Noster amor) villae; respersi sanguine nostro
Campi, quos largo sudore rigavimus; aegri,
Uxorum, puerorum cum misero comitatu,
Vix pauci effugio gladios vitavimus; ecquis
Temperet a lacrimis haec cernens? Arbore laeti
Nobilium contra campi; pastore quieto

Armenta in stabulis somnum capientia; celsa
Villarum duris tecta insultantia vulgi
Damnis. Quis feret haec indigna? Videte superbas,
O miseri cives, altis a moenibus aedes
Nobilium; nostros at sparsos igne ruinisque
Agros. His ardet pietas clamoribus; ira
Sed tamen huc illuc auditur, ludier astu
Ignarum vulgus, solos caput esse malorum
Patres. Dum clamant, en apparere repente
Hastae, sanguineae cristae, clypeique micantes;
Terribiles oculos et membra immania noscunt
Adstantis Marcì; pueri imbellisque caterva
Plena metu palmas et vocem tollere caelo,
In limen multi ruere, ac tundi pedibus pes.
Praecipites alii campis procurrere, volscos
Incassum gladios a tergo instare timentes,
Cardinibus trepidi conversis claudere portas
Custodes, ferro munire; evulgat adesse
Nam Cajum fama ante fores, volscasque phalanges
Urbem invasuras somno curisque sepultam.
Nec mora; flammato populus diffunditur ore
Per muros, rapidis ut spicula jactet in hostem
Dextris; ast umbrae Volscum sub moenibus altis
Errantem velant. Luctus apparet imago
At campis; caelo fumum volitare favillamque,
Exsultare ignes, diuturnos nocte labores
Hauriri. Lunae facies caligine tecta,
Funeris atque atris flammis Urbs cincta videtur.
Prospicit haec vallo moestis e moenibus agmen,
Ceu resona moerens frater prospectat ab ora
Fraternas pinus violentis fluctibus actas;
Hinc ait ad caelum sublato lumine: Diva
Justitiae sontes ultrix accincta flagello
Nos quatit; immeritum luimus crudelia facta
In Cajum; justi leges non frangere discant

Gentes. Pars oculos aliis defigere; fossas
Pars contemplari, et turres et moenia firma
Hostiles contra incursus; pars volvere secum
Indomitam Romae virtutem, et robur in armis.
Tum Valerus pius, et Pinarius, atque benigno
Corde patres agris pulsos ad tecta colonos
Adducunt, famulosque vocant, solantur et aegros
Eloquio; nudos obducunt vestibus artus,
Et medicas adhibent herbas ut vulnera curent,
Restaurantque cibis vires, artusque rigentes
Igne fovent. Matres gremio castaeque puellae
Excipiunt miseros pueros, et limina pandunt
Faemineis turbis plorantibus. Acer in armis
Posthumius sagulum largitur et arma juventae.
Ad pietatis opus cuncti, quos copia laetos
Reddit, concurrunt alacres, studioque levamen
Majori praebent miseris, ut luceat Urbi
Integritas patrum, se clam non arma vocasse
Marcì, sed taedis hunc inflammarier irae.
Nititur hinc agmen celsis erumpere portis,
Et ferro ulcisci villarum incendia; gressus
At sistunt, oculos victoribus atque tremendo
Vertentes Cajo, et sancti mandata Senatus
Atque sibyllinos afflatos numine libros
Versantes, acie structa ne credere campo
Auderent; vario fervent ita corda tumultu,
Turbanturque malis, partesque trahuntur in omnes.
Objice tum retro veluti fluit unda repulsa,
Sic populus mediam sese referebat in Urbem;
Huc illuc vulgi rapiuntur fluctibus aegri
Nautius et Furius stipatis undique tristi
Concursu templis; non luctus verba sonare,
Non irae fremitus, aures sed ad omnia versae,
Attoniti vultus; nato velut ore trahenti
Extremos gemitus pater adstat; cuncta silere,

Non requiem capere, ut silet ingens ira metusque.
At quo pugnarum et caedis magis ingruit horror,
Exerit hoc mage virtutem mens firma Senatus,
Et mediis numquam se pacis amore quiesse
E turbis, refugi sed pacis munera clamat
A Volscis odium immortale gerentibus; ergo
Tela manu valida stringenda, vibranda; benignos
Romulidis sat adesse Deos, sat robur in armis.
Hinc magis audaces inflammans laudis amore,
Et patrum memorans virtutem claraque facta,
Ut clausas portas et celso vertice turres
Servantes hostem propellant robora pubis
Ocyus ire jubet; sed bellis milite duro
Et firmis senibus circumdat moenia; multa
Tela geri mandat, clamori parcere; et acer
Ipse praeit cunctis; plebemque laboribus urget.
Dextera jam servi jaculis armatur acutis,
Aspera quam cohibet lex, ne vexilla sequatur;
Martis opus suffert imbellis faemina, nondum
Et firmis pueri membris: labor ultimus omnes
Convocat; et muros cum hostis circumsonet armis,
Rejicit Urbs artes ac turpia verba tribuni,
Explicat et robur, quod cuncta obstantia pellit.
Haec animis opera urgebat certantibus instans
Romulidum jusso confertim turba labori.
Interea turmas plaudens excepit equestres
Janua castrorum; praedae non parvus acervus
Surgebat mediis vallis et pulchra trophaea;
Atque veliternus victor dux ora serenus
Monstrarat reduci Cajo; tunc omnibus ille
Collectis voti compos narraverat ingens
Camporum flammis excitum murmur in Urbe,
Os ut plebejum patribus sit dira precatum;
Hinc animis hilares acies, altaque repletae
Spe Romam secum pugnantem sternere bello,

Circumfundebant se, somno ut membra levarent.
Et jam praecipitans stellato pallida caelo
Nox medios superat cursus, labuntur et astra,
Jamque super vallum Volscorum rara coruscat
Flamma; silens caelum conscendit fumea nubes;
Haeret defixus telluri calceus hastae,
Lunari radio sed cuspis fulgurat alta;
Omne solum telis tegitur; vexilla levantur
Martia principiis, nocturno et crispa susurrant
Vento. Tum statio callem, qui ducit ad Urbem,
Occupat; hinc statio dextro statioque sinistro
Assidet in tumulo; circumstant agmina turmae;
Excubiae tantum vigilant; pars caetera somno
Indulgent scuta inter, lora, rotasque jacentes.
Quisque suae medio turbae dat membra quieti
Ductor, quasque prius vigilans in mente revolvit
Ardenti studio, pugnas sub pectore versat.
Volscùm castra silent, et fessa labore quiescunt;
At non infelix animi dat membra quieti
Marcius, aut oculis recipit, seu pectore noctem;
Saepe jacet dexter, laevus, pronusque, supinusque;
Exsurgit tandem stratis, et concitus errat
Tranquillos inter vallos; tentoria cernit
Non procul Anthaeji, qui toto pectore somnum
Proflabat squamis thoraca indutus ahenis,
Promptus ad arma super villosi pellibus ursi
Fusus; circumstant caput inter scuta cubantes
Turbae. Defixo subsistit lumine Cajus:
Et felix! fatur, placido cui corpora somno
Dì dare permittunt! Lentis tum passibus errans
Frentonem reperit requie quoque membra levantem,
Et gemitum mittit; turmas ac inter equestres
Non procul Umbronem, Salium, fortemque Dolonem,
Et multos, quibus haud rumpit fera cura soporem.
Iratam dextram tunc tollens: ergo quiete

Quisque levat curas; haud ergo Marcius unus? . . .
His medium dictis sermonem abrumpit, et aeger
Accelerans retro gressus tentoria muta
Irrumpit nusquam consistens; namque propinquae
Horrorem pugnae memori sub pectore versans
Conflictabatur secum. Genus omne suorum,
Et puri scelerum patres, et Numina magna,
Omnia sunt oculis. Ast alta mente repostum
Judicium suberat Decii, saevique dolores,
Improbus atque labor pugnarum, victaque bella,
Quae Romae exciderant ingrato pectore; saevis
Hinc odiis amor in patriam cedebat. Amica
Solliciti pietas Moenae, qui cuncta videbat,
Ingemuit; vocem tollens tum talia fido
Ultro ait armigero turbatus Marcius: ergo
Cras ruet in patriam Volscus, saevaque meorum
Caede cruentus erit! Quo lux pulcherrima abivit,
Cum pro Romulidis discrimina mortis adibam,
Cum laetis oculis populus vestigia pugnae
Censebat plagas, quas pectore per tria lustra
Pro Roma accepi superato ex hoste reversus?
O bona pax, inter mortalia commoda summum,
Pax cordis, recti quam dat mens conscia facti,
Nam qua replebas pectus dulcedine durum
Inter opus belli! Nunc fervens ceu mare fluctuo
Huc illuc. Primum vix Antì buccina muris
Horrendum sonuit, rapior noctuque diuque
Caeca contra hostes ira, contraque sodales;
Me, me ipsum fugio; si pax est, expeto pugnas;
Si bellum, pacem sitio. Quid plura? Soporae
In medio noctis venit aspera matris imago,
Heu! quam terribiles oculi! quam dispar ab illa,
Quae me post pugnas toties accepit ovantem;
Gloria tu matris clamans, requiesque senectae es?
Hocne refers munus matri? . . . Quae terra dehiscet

Heu mihi ! Tu potius domino succurre, piumque
Moerori tanto per costas exige ferrum.
At diram Moenas hortatus ponere mentem ,
Ire jube centum me inter discrimina , fatur ,
Pugnantem , cautes inter foveasque ferarum
Hanc animam tibi devoveo. Sed dextera nostra
In domini nunquam cor vertet spicula ; namque
Flagitium letho pejus mens horret ; et almae
Non ita me docuit puerum sapientia Romae ,
Nec Moenae saevos monitus hos ipse dedisti.
Cur mors in votis ? Refugis quia mittere tela
In patriam ; patriae quare fer munera pacis.
Ingens laetitiae superest spes. Verba fidelis
Lex tibi sint Moenae, ac tellus et numina plaudent.
Quae spes, qui divi, quae pax, quae gaudia ? Rumpit
Dux vocem ; tetras me coram pandit abyssus
Fauces ; jamque feror furiis. A culmine celso
Roma ruat , saevos quae belli suscitat ignes
Infandis ausis ; consevit turgida ventos
(Lux properat metuenda) , metet de turbine. Cajus
Oppositos inter motus ita fluctuat anceps ;
Nunc animo radius fulget virtutis et aequi ,
Indomita tenuis nunc lux extinguitur ira ;
Ceu lux et tenebrae nimbosa nocte vicissim
Succedunt celeres , ceu se rotat impetus atri
Turbinis. At demum defessus , tempora nitens
Fascibus hastarum , dat lumina victa sopori.
En autem aegra cava notam sub imagine spectat
Mens formam, os, humeros, quae vivo gestat amictus
Tulliadi similes ; tristi circumvolat umbra
Sed nox atra caput , creber singultus et artus
Concutit ; hinc visus moestas effundere voces :
Dormis , Marciade , nostri securus amoris ,
Dormis ? Curabas equidem , dum vita manebat ,
Heu ! functum memorare piget ! Sinis ergo cruorem

Sic impune meum romana cuspide fusum?
Sic mihi juratae toties Volscisque patrique
Stas fidei, et durae sic ultor caedis amici es?
Sic belli nubem circumfers longius Urbe?
Surge age; terribilem vagina diripe ferrum;
Surge age, coge acies, disjectos dirue muros,
Romulidumque caput vastis confringe ruinis;
Ultrix irarum tecum ferrique ministra
Omnibus umbra locis adero. Sic fatus; et atros
Ex oculis ignes misit, stridensque sub altam
Ille abiit terram. Tum somnus membra relinquit;
Visa tamen facies oculis et pectore inhaeret;
In mediis audita sonat vox auribus, asper
Marcius hinc surgens rapit hastam, solis et astrum
Ore vocat; furor olli atra caligine mentem
Intus agit, funditque oculis ardentibus ignem.
At matrum teneris cum natis agmen in ulnis
Magnanimas aderat celerans Veturiae ad aedes,
Flammarumque viae moestae longo ordine lucent.
Jamque illae patrio succensae pectus amore
Ad portas Urbis properant, ubi cogitur ordo
Carpentûm, pulsatque solum crebra ungula equorum.
Pallida marmoreo maternam limine mentem
Tum subito turbata metu, stetit ante parentem
Marciadis nitidam pateram plenamque lyaeo
Ipsa manu gestans libanda Volumnia summo
Dona Jovi, placidaeque dedit sic anxia voces:
Sume, Deûmque patri liba, supplexque rogato
(Ad Volscas animo quando sedet ire cohortes),
Hostibus e mediis ut saltem ad tecta reducat
Incolumes pueros, et nobis omina fausta
Offerat ante abitum. Cui mater: ferre supinas
Haud piget axe manus; pro Roma fundere vota
Est decus. Hinc puros formosa liquentis aquai
Humores dextra tollens dat Tullia, laeva

Supponit pelvim ; et postquam Veturia lavit
Rite manus , patera accepta libavit Iacchi
Dona , levans alto voces ac lumina caelo :
Juppiter aerio tarpeji e vertice saxi ,
In terris qui cuncta moves nutu , optime Divùm ,
Da veniam grata ad nati minitantia castra ,
Et nostra eripiat pietas a faucibus Orci
Nutantem patriam. Longaeva haec pectore vota
Fundebat mater , cum cernit in aethere fulvam
Lustrantem praedas aquilam : quo certior ales
Augurio nullus ; sic illa aetate docebat
Vana superstitio ; pennis ingentibus Urbem
Supra agili dexter lapsu ille volabat. Amicum
Accipiunt omen , laetasque ad sidera voces
Extollunt omnes. Tum autem Veturia currum
Festinans agilem cursu , pulchrumque recentemque,
Inde aliae ascendunt , subitoque auriga flagello
Insonat ; at manibus non omnes fundit habenas ,
Et portas gressu moerentum plaustra relinquunt,
Ac tardis longo celatur semita tractu
Bigis ; hinc atque hinc equitum populique caterva
(Matronale decus sic poscit). Dulce sed agmen ,
Quod steterat moerens magnae sub turribus Urbis ,
Canae prospiciens matris , dulcisque sororis ,
Conjugis et natae currus , suspiria ducit
Pectore deplorans matrum crudelia fata ,
Ceu miserae certo properent se opponere letho ;
Nam mentes agitat Marcî violentia , pectus
Cujus non turbae moverunt vota togatae ,
Non sacris patres redimiti tempora vittis.
Hinc tacito remeant moestoque ad limina gressu ,
Dum ramos inter borealis murmura ventus
Miscet , et egreditur Phoebus caligine tectus.
Jamque fugat castris Volscorum rauca soporem
Buccina , et armorum caelum tonat omne fragore ;

Digitized by Google

Sollicitique duces subeunt tentoria Marcî,
Et belli de more ferunt bona verba salutis.
Dum tectum complent cristis auroque decori
Rectores Volscûm, longa stetit arduus hasta
Comiter adnitens, et claro horrendus in aere
Marcius; ingentes artus, magna ossa lacertosque,
Intuitusque feros radiantes luce cruenta
Mirantur; memorant quo turbine torqueat hastam,
Quo vultu educat juvenes in bella ruentes,
Haereat ut lateri illius victoria. Fronte
Magnanima volscae tunc Umbro vota cohortis
Vocibus expromens, saevas magis excitat iras
Marciadis: palmas merito, tua fortia facta
Itala miratur tellus, dux inclyte. Roma
Jam vincenda tibi, quam si non obruis armis,
Tot domitae frustra gentes, frustraque latini
Expectant populi pacem: Nunc exere vires;
Urbis contemptus memora moremque superbum
Quo te non revocat (quartus jam volvitur annus);
Nec te proscissum probris, ad culmina tractum
Tarpejae rupis ferme benefacta piasse
Morte loquar. Devota tibi jam dirige Volscûm
Agmina; non segnes scandemus moenia; nostroque
Aeternum, ductor, tibi sanguine nomen emenius.
Acrius his dictis memori sub pectore Marcî
Assurgunt irae; sed celat corde profundo,
Atque gravi spondet vultu, quod gloria poscit
Volscûm. Tum Voluso, Anthaejo stipatus et acri
Umbrone, egressus tumulo, quo caetera Volscûm
Aequorumque manus concurrit, talia reddit:
En fastu tumidam sibi jura haud nata putantem
Urbem, quae rapuit jam per tria saecula pacem
Felici Ausoniae! Latii gentisque sabinae
Immensae, o Volsci, Aequicolae, cumulantur opes heic,
Heic enses rigidi, qui caede et sanguine vestros

Foedarunt campos. Quod valde, saepe, diuque
Expectastis, adest; Roma, infensissima Roma
Aut exscindenda est hodie; aut jam victa suescet
Jussa pati Volscùm. Vocat irremeabile tempus;
Vincendo socios populos properastis ad altas
Portas; discordes trepidique os tollere cives
Non audent muros extra. Quae moenia firma,
Quae validae nostris acies legionibus auctis
Obsistent? Alacres postremos hosce labores
Suscipite, o fortes: vos pax diuturna manebit,
Gloria, divitiae; Romanos vincula, lethum.
Praeterea raptas gazas, lariumque ruinas,
Et longos Volscùm luctus, caedesque, fugasque,
Virgineasque manus nexas memorate catenis
Et Romam tractas. Cocyti stagna severa
Linquentis Graji, quem vidi noctis in umbra
Vulnere contectum, voces saevosque dolores
Audite, et scelerum tantorum sumite poenas,
Ut sit ei tandem requies Acheronte sub imo.
Nunc nunc este viri validasque expromite vires;
Ite animis alacres, armis circumdate Romam,
Expugnate, solo prosternite moenia, gazas
Dividite, atque animos explete; aliquando superba
Sentiat ultores divos. Dux inclytus armis
Dixerat, atque oculos suffectos sanguine et igne
Torquebat Romae, veluti leo; tollitur astris
Immensus turbae clamor. Certantibus omnes
Incumbunt animis operi, pariterque laborem
Sorte trahunt; cuncti sub signa erecta vocantur;
Agmen digreditur; via tuscula clauditur armis;
Turrifragis trahit arietes pars cornibus; affert
Pars curvis humeris tollendas moenibus altis
Scalas; ad taedas alii vastosque molares
Fundendos aptant balistas; plaustra gravata
Undique missilibus stridunt, equitesque superbi

Undique discurrunt; certatim instare phalanges
Duro operi Martis, laetasque attollere voces;
Intentis, tacitis, effusis undique circum
Marciades ducibus longe fulgentibus auro
Mandat, ut obliquum pedites radiantibus hastis
In binas partes disponant moenia contra,
In medioque locent directum robore textas
Balistas, inventa trucis tormentaque Martis,
Quae jaciant muris saxorum pondera, tela;
Edocet ut peditum dextrum laevumque tegatur
Cristatis cornu turmis; quae copia spectet
Pugnas, auxiliumque ferat certetque vocata;
Quae manus advigilans a castris arma repellat,
Qui circum excurrant equites mandata ferentes;
Innuit, admotis superentur moenia scalis,
Coelius et collis primum frons celsior Urbis,
Tum reliquum Romae quatiatur turbine belli;
Cuncta movet Cajus; sic quando procreat atram
Providus omnipotens hyemem, cito nubila vasto
Fusa volant caelo, densantur in agmina nigra,
Parentes properant dictis eurusque, notusque,
Africus, et boreas; et fulmen, turbo, tonitru,
Grando, imber, terror nimbos immurmurat inter.
Atque ea dum celerant acies, digressus ab Urbe
Carpentûm procul apparet longissimus ordo
Tarde progrediens, et circumfusa caterva,
Quae fidens animi Volscûm ferventia bello
Castra petit. Cajus stupet; obstupuere silenti
Ore duces; doctus sed quot tendantur in armis
Insidiae, juvenes in equis dux mittit anhelis,
Qui videant, lateat num quis dolus, hostis an horrens
Telis, quodve virûm genus aut quae causa coegit.
Nec mora, cuncta patent; remeans nam laeta juventus
Nunciat insidias nullas, haud arma timenda;
Imbellem matrum generoso sanguine cretam

Digitized by Google

Cum famulis gressus castris advertere turbam
Quae rogat illacrimans, liceat ducis ire benignos
Ante oculos. Vario repleutur murmure castra;
Namque duces aliqui, matres ut funera vitent
Urbis ab excidio sese subducere cernunt,
At melior clarum pars sanguine pellier Urbe
Incensis villis vulgi contendit ab ira
Agmen. Tunc Umbro generoso pectore fatur:
Imbelles quidquid moveat, vestigia Romae
Haud servat Volscus, turpi seponere honestum
Noscens. At pulchram belli nunc jure daretur
Praedari turbam, et raptas sine more Sabinas
Ulcisci; cultos doceat sed barbarus hostis
Aeneadas, sancti nunquam violare pudoris
Jura, licet sileant saeva inter praelia leges.
Cui paucis ductor setinus; temnere fas est
Imbelles; inter conflictus ultio digna
Magnanimis audenda viris; Urbs marte domanda,
Pax danda Ausoniae, quae nobis brachia tendit.
Haec inter longa subnixus Marcius hasta
Adventus causas tacito sub corde volutat;
Ac secreta ferum pertentant gaudia pectus;
Nam videt Urbe magis civiles fervere fluctus,
Trojugenas lapsos a summo laudis ad imum
Faemineis precibus gentis committere fata;
At miseret matrum, nullo quae crimine foedae
Oratum veniam sceleri mittantur ad hostem,
Cum jam pugna vocet. Tento tunc indice dextrae
Fas nulli jubet esse imbelles pellier. Ergo
Inter equos agmen graditur currusque gementes
Dissectum, cujus partem pulcherrima ducit
Marciadis conjux, aliam sapientia matris,
Quae sic admonuit. Demisso lumine, passis
Crinibus accedunt, tegitur frons candida tristi
Nube, sed invicto latitat sub pectore constans

Mens, quae pro patria, pro pulchro temnit honore
Vitam; labra tacent; ast illa silentia cultum
Virtutis mandant, obscuro palla colore
Artus, sed mentes obducit candor; et inter
Lucet majestas quamquam velata; refulget
In teneris membris, oculis, malisque venustas;
Gestus at, intuitus, gressus, speciesque pudica,
Quae non succendunt turpes sub pectore flammas.
Casta replet pietas, stupor, et reverentia Volscûm
Belligeros animos; sancti lux tanta pudoris
Et virtutis odor spirabat corpore matrum!

Digitized by Google

LIBER DUODECIMUS



ARGUMENTUM

Divina Providentia semper dives in misericordia imponit bello finem, et Volscorum animos ad pacem inclinat. Oratio Volumniae, matrumque lacrimae, ut flectant Marcium; ejus tamen animus adhuc durus resistit. Adduntur preces et objurgationes Veturiae. Coriolanus diu secum luctatur et haeret; tandem seipsum superat, admirantibus Volscis, et patriae ignoscit.



At Rex saeclorum, qui supra sidera degit,
Unde per immensum caeli terrasque jacentes
Justitia et bonitas diffunditur aequoris instar,
Aeternis fixam imperiis exsurgere lucem
Jussit, qua longe romanis praelia muris
Et dolor et lethum, atque atrae formidinis ora
Pellantur. Concors nam ceu discordia vocum
Dulce sonat; ceu parrhasia cum spargitur arte
Obscurus niveusque color, tum forma refulget,
Et rapiunt oculos tabulae; sic nascitur ordo,
Saeclorumque nitor, quando contraria mira
Junguntur lege, ut virtus et forma micantes
His mage reddantur, summae miraclaque dextrae
Attonitus recolat mundus. Sed saepe supernae
Mens hominum cum obstet voci, sapientia caeli
Perficit, aeternis quae jam decrevit ab annis,
Ludit et humanum nisum omnipotentia; namque
Dum remorarier et sanctis obsistere gaudet
Arbitriis, hominum paret vesania; praeceps
Ceu quadrupes freno, voci, stimuloque reluctans
Fert equitem dorso, et paret, dum calcibus auras

Verberat. Arcanis et pulchris artibus ergo
E vitii tenebris virtus, pacisque serenum
Horrendi erumpit belli de faucibus. Inde
Omnipotens genitor, cujus conspectibus aula
Caelestis, tellus, horrens curvatur abyssus,
Annuit, et nutu caeli tremuere columnae.
Nam postquam exegit violati juris ab Urbe
Terribilem populis poenam, circumdare septem
Luce parat colles, vult Romam Solis ab ortu
Litus ad hesperium saeclis labentibus olim
Ferre orbi leges virtute armisque subacto;
Tum sanctum Fidei diffundere lumen ubique,
Et certas monstrare vias, quibus itur ad astra;
Sobrietas etenim, duris patientia rebus,
Urbem quae decorant generosam, praemia ab illo,
Cujus justitiae summae est par gratia, poscunt.
Hinc qui non raro miracula promere gaudet
Ex levibus causis, tanquam si luderet orbe,
Effundit tenebrosa citas per nubila flammas,
Atque repentino tonitru, cui terra Latinorum,
Et Volscûm regio, superum infernumque profundum
Contremuit, fugere ferae, nova jussa cohorti
Spirituum tradit, Latii quae praesidet arvis.
Hi levibus celerant adnantes aethera pennis,
Celsa ubi se tollunt fortis tentoria Marcî,
Et super altivolis invisi nubibus errant,
Illius ut flectant animos ad jussa parentis.
Jamque propinquabat gemebunda Volumnia castris
Formosae sobolis mater, formosior ipsa.
Ora viri madidis vix autem oculis aspexit,
Ora nimis nota, et longo post tempore visa,
Artubus intremuit, totoque expalluit ore,
Atque ruens curru passis sine lege capillis
Aequalem nitidae stellae gestabat in ulnis
Natum; sed major vadentem haud passibus aequis

Pone sequebatur matrem. Dux inclytus aure
Tum procul accepit gemitus, agnovit et ora
Conjugis et puerìm; subitoque flagravit iu imo
Pectore dulcis amor pietasque antiqua. Calenti
Sese offert animo uxoris reverentia, candor,
Et vigiles curae, dum stratis ipse jaceret
Vi fractus morbi; videt aurea tempora, quando
Fas erat in laribus patriis explere beatos
Annos; mens pingit, quonam succensus amore,
Cum premeret tecti superato limen ab hoste,
Stringeret amplectens saepe inter brachia natos
Majorùm narrans virtutem, atque oscula miscens,
Cresceret ut parvis in cordibus aemulus ardor;
Ipse videt dulces molli constringere dura
Tela manu pueros, undanti et ludere crista,
Atque hilares nitido clypei se cernere in aere;
Et laetae matri non una in pectore patris
Vulneris inflicti digitis ostendere signa.
Haec cernens odii languere incendia sentit,
Ceu qui post longos cursus in sede quiescit;
Explicat et frontem placidam volvitque serena
Lumina. Sed veluti rutili qui solis in ortu
Evigilat recipitque diem, mox lumina somno
Dans in nigrantes iterum prolabitur umbras,
Sic animus vigilans in pulchra pace moratur,
Tum caecas subito in tenebras prolabitur irae;
Igne micant oculi, rabie fera corda tumescunt;
Sed tectus claudit dux os, ne lingua revelet,
Quas virtus ac ira cient sub pectore pugnas.
Tum vero lacrimis oculos madefacta decoros,
Impellensque acies formosa Volumnia conjux:
Ecquis me miseram, fatur, teque optime perdit
Marci? Quis furor? Heu! quantum mutatus ab illo es,
Qui pro majòrum tectis, pro conjuge fida
Pulchrum ducebas caput objectare periclis!

Qua clari soles fugerunt praepete penna,
Quando fulgebam gaudens splendore beato,
Quo tu cinctus eras? Mihi tu lux, gaudia, numen.
Nunc ab amicorum malefida spreta caterva,
Quae fugiente fugit fortuna, torqueor usque,
Infaustasque domos lamentis compleo. De te
Quaero, cum videam nostros intrare penates
Raros, horrisono in nimbo ceu sidus, amicos,
Meque statim quaesisse fugit. Mens me rapit aegra
Huc illuc; fari incipio; suspiria voces
Incoeptas rumpunt. Foveo complexibus hosce
Natos, mox amens pello; sic horrida lucis
Tempora decurrunt miserae mihi. Post ubi terras
Umbris, quae curas augent, taciturna tegit nox,
Sola domo vacua versor, defessa relictis
Incumbo stratis plorans; nam tristibus umbris
Occubuere mihi patres fratresque; Deorum
Munere tu, Marci, pater es, tu mater, et idem
Tu frater, thalami tu vir mihi foedere junctus;
Te video absentem, teque absens audio, sed tu
Non audis miseram; non audis? Sic amor ergo
Praemia tantus habet, qui te te deperit unum?
Oro per has lacrimas, quae quondam saepe movebant,
Perque hunc (si nostrum fuit unquam quid tibi dulce)
Vultum, magnanimam pietatem redde, salutem
Redde, precor, patriae, quae me tibi, teque creavit.
Quod si te nostri ceperunt taedia, si vis
Interitum nostrum, placeat me occumbere solam.
Per dextram supplex oro fortemque piamque,
Quae domuit tumidos fastu, erexitque jacentes,
Per qui te in lucem clari fudere parentes,
Per Superos, quorum cumulas altaria donis,
Ad pueros specta, quos ad vitale vocasti
Lumen, ad hos pueros noctesque diesque rogantes
Ut dulce os patris reddam! Quid reddere possim

Infelix? His parce, tibi qui brachia tendunt
Orantes veniam; primus nam nuncius horum
Perstringens aures clari fuit angor acerbus,
Patris et exilium; indumenta fuere priora
Fasciolis positis velamina nigra doloris,
Blandaque verba, quibus prius est complexa relicta
Hos mater, juges lacrimae gemitusque fuere.
Nunc tua si tandem ratio non subjicit iras,
An pietate tegi patris pietate carentis
Natos a populo credis? Post terga revinctis
Heu! cerno manibus pueros et verbera saeva,
Et miserum gemitum, et lacrimas plagasque cruentas.
Parce tuo, genitor, saltem de sanguine cretis,
Quique tuos vultus referunt animosque viriles;
Respice . . . At oranti vocem dolor intercludit,
Et fortis genibus luctu formosior haeret
Marcî; purpureas malas, et mollia labra,
Et mortis pallor tegit albae frontis honorem,
Et lacrimae velant rutilantia lumina; fusa
Illa solo languet; veluti rosa solis ob aestum
Demittit collum, nec ut ante suave rubescit,
At quamquam pallens campo formosa recumbit.
Circumstant Volscûm tacitae denso agmine turbae,
Et matris miserae pietas indigna ferentis
Natorumque dolor pertentant pectora. Ductor
Anceps, irato similis similisque gementi,
Nunc spectat natos et pallida dulciter ora
Conjugis, ingratae nunc moenia turbidus Urbis,
Et silet. At multo gemebunda Valeria fletu,
Ut carae sobolis castaeque uxoris amore
Tandem gauderet, poscebat poplite flexo,
Et sic instabat: tantae pietatis imago
Flecteret et saevos populos animosque ferinos;
Quo mage magnanimos! Pedibus manibusque severi
Patris certatim figentes oscula nati

Sic complorabant : hanc nobis eripe vitam,
Quae tua tota est, aut dulcis miserere parentis ;
Nonne mori pueros praestat, quam cernere matrem
Jam jam lapsuram fatis a patre relictam ?
At moestae sociae tundentes pectora palmis,
Scindentesque comas, ardentia lumina Cajo
Et voces tendunt ; omnis pietate resultat
Campus ; quid ductor? Memores e pectore vellit,
Aut iras refovet ? Veluti percussa sagittis
Inclusa in lustro cum natis torva leaena
Ingenti frendens pietate movetur et ira ;
Namque hic fulmineos dentes unguesque recurvos
In densam turbam venantum concutit ira,
Hinc amor haud patitur miserandos linquere natos ;
Sic Veturiades ingenti fluctuat aestu
Curarum ; circum nunc volvit sanguine tincta
Lumina, nunc vultum demittit. Fixus in uno
Cajo voce caret campus. Certamine tandem
Ira caput tollit victrix ; non parcere fixum est ;
Attamen uxori, quae mentem animumque recepit,
Convertens oculos, saevum lenire dolorem
Aggreditur dictis ; erga te pectore nostro
Non restinctus amor; mihi namque incommoda vitae
Constanti cura minuebas. Insuper hosce
Fudisti nobis pueros ad lumina vitae
Spem curamque patrum ; tu sicut numen adoras
Praeclaram matrem, supremaque munera nobis
Confers. Pone modum lacrimis ; num fletibus instas
Ut gladium ponam, nostros victoria currus
Cum ducit ? Marcì conjux adversa decori
Vota feret ? Romam fatorum linque rigori,
Nostram cum natis fortunam pone sequendo
Gaude ; sed demum nos teque incendere questu
Desine : fata obstant : nostras Deus obstruit aures.
Sic ait, et valido nisu sub corde profundo
Digitized by Google

Comprimit ingentes curas, quae erumpere tentant,
Nec lacrimae immitem flectunt, nec vota suorum.
Ecce autem densas urget matresque virosque,
Atque petit fidens animo Veturia natum.
Ibat acerba tuens, ac Romae induta severam
Virtutem genitrix, reliquisque gementibus ira
Infremit aspiciens nulla pietate moveri
Cor nati. Fidus sed densa per agmina Moenas
Prospicit antiquae cognoscens ora parentis;
Mater adest, Marci: properat Veturia, Marci!
Nec mora; sollicitam nati reverentia mentem
Complet, et illius, dederat quae munera vitae,
Ante pedem fasces submittit Marcius ingens,
Cui sese Latium subjecerat; inclyta Romae
Progenies tanto servavit honore parentes!
Ille statim, veluti si lapsum numen Olympo
Cerneret, ad matrem palmas et lumina tendit;
Ast vultum torva avertit, retroque repellens
Dextra cunctanctem natum, dum multa parabat:
Quis tu, Marte ferox ductor? (sic increpat ultro)
Fare age romanae proles Veturiae, an hostis?
Nostros ore refers vultus, ast impia facta
Hostiles referunt animos ... E mente putabis
A me deletam matrem? Cur excidit ingens
Ore nefas? Memini, meminisse et summa voluptas
Quod mihi sit genitrix Romae Veturia sidus;
Materna de carne caro nostra induit ossa,
His fluit in venis matris de sanguine sanguis;
Me pulchris potius factis quam voce docebas
Aeternas Divûm leges cultusque parentum,
Ac virtutis iter, Veneris non currere callem,
Pauperiem angustam longos et ferre labores,
Et velut abjectam pro pulchra spernere laude
Vitam. Mens primos, ut par est, solvit honores
Numinibus magnis, tum Matri ... Facta reclamant.

Digitized by Google

Qui novit reddi par nunquam posse parenti,
Abstinet a donis nunquam; tu tela ferendo
In patriam, meritos genitrici reddis honores...
Orbis ad imperium primaevo tendit ab ortu
Roma ferox bello, et vulgi mens credula sperat
Divos imperium Romae sine fine daturos;
Nec latet, hanc fraudem primis a Regibus ortam
Fallaci patres plebejis vendere lingua.
Horrida flagitiis en tertia volvitur aetas,
Ex qua vis Urbis sceleratis obruit armis
Ausoniam placidam, Saturni jam aurea regna.
Oppressae gentis clamores audiit aequus
Juppiter. Heic scelerum finis, jam fatur ab alto;
Et movet hanc dextram victricem ... Nate, dolosa
Sub specie recti incautum te decipit ira;
Hinc ferri a Superis credis. Sit crimine foeda
Roma: licet civi patrios evertere bello
Muros? Inflammans magis iras auctor id esses
Civi pro patria potius sed ut arma moveret
Immemor accepti damni. Firmissimus ira
Ad patriae excidium contra tu spicula vibras,
Atque putas victor multum te laudis adeptum?
Infandae laudes! Meritae fastigia famae
Pauper, egens, exul tetigisses, fata ferendo
Robore magnanimo mentis. Patientia forsan
Non sacrat heroas plusquam vis bellica? Ductor
Hostes cum superet, patiens se subjicit ipsum.
Praeterea mira mortales lege gubernat
Juppiter advigilans, ne virtus usque prematur
A scelere audaci, quod serius ocyus aequis
Conteritur poenis. Surgebat lumen amicum,
Mater ad amplexum quando te Roma vocabat;
Hinc quos paullatim multoque labore parasti,
Laetitia ingenti cunctos complexus honores
Esses, et meritas infensae crimine purus

Spectasses turbae poenas; patientia summa
Laus, tibi munus erat. Dices; injuria plebis
Anne merebatur praeclarum pignus amoris?
Ergo animus Marcì generoso sanguine creti
Tetrior est vulgo? Si plebs indigna favore,
Digni atavi ingentes et Curia, Numina digna,
Digna parens. Igitur pietas ubi denique, vel quae est,
Cui feritas etiam populorum, brutaque parent,
Qua Romanorum genitor sonat ille per orbem
Tros Anchisiades? Pietatis jura verenda
Tu prior heic violas ... At si peccata remittat
Dux Veturiades, formidinis arguet illum
Ausonia, et clarum foedabit crimine nomen;
Jam plusquam lethi faciem mens dedecus horret...
Tune putas animi vecordis parcere, semet
Vincere? Num caeco tracti domitique furore
Dicentur fortes; segnes qui pectore delent
Offensas, fatui qui ponunt fulminis ignes
Divi? Tun' Volscûm gentem sine nomine dices,
Quod, quamvis hostem, tectis te cepit amicis,
Imperiumque dedit belli, patrumque sedere
Concilio? Has imo gentes Oenotria laudat;
Et te, si patriae parcas, ad sidera tollet.
Magnanimus nimium Volscus! Persolvere dignas
Si grates nequeam, aeterno venerabor honore;
Et prius hanc animam telo sub tartara trudat
Juppiter hospitii custos, quam jura resolvam,
Et socios foede versem! Versare sodales
Turpe nefas; numquam docuit, Veturia nunquam
Turpe nefas; nunquam docuit Veturia, nunquam
Hos animo sensus aluit. Sed num furor iste,
Quo ruis in patriam, virtus? Non jura, Senatus,
Unda, lares, tellus, non sacra heic omnia? Ferrum
Jam male nudatum vagina conde; tuoque
Urbs dono sospes laetetur. Non Numa, non est

Ancus avus, mater nec ei Veturia, segnem
Quem mors perterret; sed multo segnior ille,
Qui se non subigit. Flammarum et caedis abunde est.
Hinc arce Volscum, conflentur foedera donec,
Queis ambae plaudant gentes. Usura rogatur
Temporis, haud crimen; quis temporis intervallo
Non melius statuat, quam belli turbine pacem
Caelorum munus? Ne claudas vocibus aurem,
Quas hoste effundo coram. Fors crimine purum
Ter non tangebant patrum te vota; sed orat
Orat te mater. Luctum scis fataque patris
Perturbasse domum paulo post saeva dolorum,
Quos subii fundens te in lucem. Flore juventae
Deserta ignotos debebam findere fluctus,
Desidiam famulùm studio replere, malignas
Illorum mentes, parvum gentisque propinquae
Cavisse ingenium, fraudes quaestoris avaras,
Linguarum vulgi convicia damna necesse
Ferre fuit. Mittam plenas formidine curas,
Cum per virtutes animum patriasque colebas
Artes; quid dicam consumptos aeris acervos
Dotali ex fructu, non patris divite censu?
Tot tempestatum non cessi, gaudia spernens
Conjugii alterius; nobis solatia tantum
Crescere te patriae, nos contemplarier ora
Conjugis extincti rursum spirantia gnati
In vultu. Nosti rursum mea saucia corda,
A me cum avulsus linquebas moenia; cum nec
Defunctus conjux, exul nec tecta subibat
Gnatus; cum luctum solari cogerer aedis
Ipsa rogans Superos solamen. Farier haecne
Ad tua probra putas? Ast ut mea vota benignis
Auribus accipias, remeans ut tempora vitae
Mecum traducas, ut nolis esse parentem
Bis viduam; aut, potius si vis parere furori,

Digitized by Google

Excidium differ patriae, cum lumina morti
Clausero (nec distant Parcae). Si ad turpe vocarem
Te studium, haud matris, naturae haud vocibus aurem
Pandas; obsequium, neque taedia longa laborum
Respicias. Studeam si vero, gloria claris
Ut tua se factis tollat; si nullus in orbe est
Me magis exardens, ut laeto pectore vivas,
Non exorabunt patriae mea verba salutem?
Alma Venus Latium Trojano classe petenti
Conciliare Jovem valuit; placare Quirinum
Hersilia Antemnae populis; extinguere belli
Irarumque faces lacrimis potuere Sabinae
Cognatas inter gentes; Veturia nati
Non odium restinguet? Quid petis amplius? en Urbs
Te revocat; patres sacraque in veste sacerdos
Saepius orarunt Divorum nomine; demum
Cum teneris pueris, moesta cum conjuge mater
Ante pedes adstat. Memorem si volsca rogarent
Ora, dares pacis munus; num dignior alter
Matre, cui patriae haud renuas donare salutem?
Sic ait. Ora duces mirantes mutua vertunt;
Hosce referre juvat, lateque sonare per agmen
Moerentis matris sensus generosaque dicta.
Mollibus horrisonae pelago sedantur ut euris
Undarum moles; leni sic voce parentis
Bellorum fluctus sub corde quiescere Volscûm
Incipiunt, sensusque beatae pacis oriri.
Aspectus matrum, puerûm comitumque, doloris
Ac sonitus tangunt et bellis pectora sueta;
Praecipue vero curarum turbine ferri
Clarum ductorem cernunt, mollisque medullas
Ingreditur pietas; hinc ardet pulchra cupido
Turbatis animis reddendi gaudia, nullos
Ast aegris cernunt oculis se pandere calles;
Dux vero armipotens anceps, quae quomodo reddat,

Digitized by Google

Aut quae non reddat, non repperit. Ora quietus,
Ast imo magnos versat sub pectore fluctus;
Laetitiam pacis nunc Romam mittere, nunc vult
Irruere in patrios Martis toto impete muros:
Corde sonant alto maternae murmura vocis,
Acribus et stimulis urgent ad splendida facta;
Ast olli tetro pingit mens aegra colore,
Quae Volscus tormenta paret, si cesset ab armis.
Non durae terror mortis, sed dedecus olli
Magnanimum laniat pectus. Spectacula saeva
Illius apparent animo; se milite cinctum,
Turpibus et nexum vinclis, tractumque per urbes
Volscorum cernit; plebejae sibila linguae
Et voces audit, medioque in crimine torvus
Tullus adest, dirumque probrum aggerat, et vocat illum
Perfidia saevum praedonem jura sacrata
Hospitii violare ausum; nunc semet, et iras,
Nunc odit pacem, nunc Urbem; ebullit et alget,
Subrubet, expallet, refugit pugnam, et cupit anceps;
Valdius in patriam dulci pietate moveri
Sentit; at indomiti affectus cordisque tumores
Magnorum dirae pestes, contemptor et usus,
Ingeniumque ferox compellit ad impia bella.
Oppositos inter motus hinc ille tacebat
Defigens oculos matri, qua saepe rogatus,
Rumperet ut tandem male grata silentia: fatis,
Incipit incerto sonitu, maledicta relinque
Tecta, ubi fas versum atque nefas, ubi plurima turba
Bacchatur scelerum; sine nos inferre cohortes
Protectas Superis, ut corruat impia Roma.
Cum vero tulerint ad me te fata benigna,
Per quae conjungunt genitrici vincula natum,
Perque nurum miseram, parvorum spemque nepotum,
Ne libeat saevis caput objectare periclis,
Et nati fatis, quem Volscûm dextra jacentem

Extulit ad patrum sedes, ad culmen honorum,
Utere; me nimium laetum, si degere sit mens
Diva tibi mecum! Sapiens discernere sueta
Occultos nati sensus Veturia, vidit
Illum turbatis oculis et voce locutum,
Altius et patriae pietatem intrasse per imum
Pectoris; esse satis votorum; cuncta novanda,
Sermonem, vultum, dubius dum filius haeret,
Quaeque doment iras, materni tela furoris
Immittenda, sagax ceu dux in montibus urbem
Oppugnans, omnes aditus, omnique pererrat
Clausos arte locos, variisque assultibus urget...
Degere me tecum? Me consectarier hostem
Urbis? Me nato sternenti a culmine Romam
Jungi? Mene jubes similem tibi? Libera Romae
Immaculata cadam, sedes et laeta piorum
Invisam; facinus tantum narrabo sub imis
Umbris, te scelere amentem jactare tuorum
Grandia per campos effossis ossa sepulcris,
Te capitolinas arces, simulacraque Divûm
Sternere, nec natis, viduae nec parcere matri;
Quid pius Aeneas referet, quid Romulus ingens,
Pompiliique nepos atavus tibi Marcius Ancus?
Quid genitor summo erga te succensus amore,
Quidve tot illustres animae, quae sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo? Torvasque frementesque
Auribus accipiam; infandum! Te vendere Volsco
Te, quem gens Latii clarum virtute colebat,
Ob non magnanimas iras patriamque decusque?
Quid? Scelus an tantum speras sine vindice poena
Ire? Ferum tecum, quod te noctuque diuque
Damnat, jam portas sub corde tribunal apertum.
At si cum volscis patrios ascenderis armis
Muros, insueto trepidabunt corda pavore;
Undique civiles umbrae manesque tuorum

Sanguinei occurrent; metuens te Volscus et hostis
Ad mortem rapiet; frustra et cum Rege superbo
Sub Phlegetonte gemes. Verum quid demoror ultra
Te verbis, dum bella tonant? Impelle phalanges,
Fortunam sequere. At pharetras deplebimus, hastas
Stat plena vibrare manu, devolvere saxa,
Tecta, trabes, taedas; et cum sperare salutem
Non dabitur nobis, constans Romanus ad unum
Occumbet, muros desertos victor habeto
Cum Volsco attonito; tibi sunt exempla novanda
Horrendae regum natae, matrisque cadaver
Calcandum pedibus sub portis. Pectore fudit
Haec mater. Fortis tum vires colligit omnes
Marcius, et vastis tremuerunt nisibus artus;
Dumque dabat fortuna severas sumere poenas,
Evellit penitus generoso e corde cruentas
Iras, atque odii confringit vincula liber;
Hinc patria tacitum pietate accensus ad agmen
Convertens oculos insueta luce micantes,
Non mortale sonans: pacem bellumque Senatus
Hac volscus posuit dextra; sed linquo supremo
Agminis arbitrio; clausistis classibus hosti
Tyrrhenum; paucis vicistis solibus urbes,
Martia quas multis vix annis Roma subegit,
Laetaque direptis gazis ornata redundant
Oppida Volscorum; villaeque hac nocte voratae
Flammis, non laedi Volscos impune loquuntur;
Gentem, qua coram siluerunt itala regna,
Clausistis muris. Venerandi quidquid in Urbe est
Ante oculos vestros ter pacis munera frustra
Adfuit implorans. Imbelles ecce catervas
Et flentes puerûm turbas miseramque senectam,
Hostiles inter dextras en Roma reponit
(Mira fides!) Matrum vitam generosa decusque:
Audistis gemitus, audistis quomodo constans

Addiderit votis Veturia verba minarum ;
Immisit summus maternae fulmina linguae
Juppiter, aut aliquis certe Deus. Itala tellus
Hactenus aspexit Volscorum robur in armis ;
Jam cor magnanimum miretur. Dextera victrix
Fert pacis donum victis ; hinc volsca videntur
Arma domare Urbem, si multis mitia votis
In pharetram redeant. Jampridem exspectat, ut addat
Historia aeternis chartis praeconia cordis
Magnanimi Volscûm ; nam saevum ponere fulmen
Fletibus et votis, supremo numine dignum est.
Primus ego (testis sol esto, et volsca vocanti
Terra mihi, multis quam ornat mea dextera lauris,
Et tu, summe Parens, tuque, Anti litore culta
Diva potens, volscaeque ingentia Numina gentis,
Et vos, romuleae quae curam sumitis Urbis),
Primus ego veniae ductus splendore recedo
A memori cura opprobrii, noxamque remitto ;
Romanum Volscumque pari complector amore,
Nilque magis cupio, quam pax aeterna beatos
Hos faciens populos saturnia regna reducat.
Sanguine sique meo placanda est ira Deorum,
Hoc ego devoveo caput, haec ego spondeo Cajus,
Atque sequor laetus generosae dicta parentis ;
Anne quis haeret iners, quando a ductore triumphi
Splendidius reseratur iter ? Sic fervidus igne
Ardoris patrii clamabat Marcius ingens ;
Et volscas acies afflabat fulmine linguae,
Vocibus, adspectu, radianti lumine, mira
Vi mentis, contra quam certat nulla voluntas.
Insuper omnipotens hominum rerumque Creator,
Qui semper gignit residens in pace beata
Astrorum motus immensos absque tumultu,
Harmoniamque regit legum, quibus orbis obedit,
Est visus radios demittere lucis ab alto,

Digitized by Google

Aethereae pacis radios, et dulcis amoris,
Et clara pectus tot millibus urere flamma.
Improvisus adest ventus, qui nubila pellit,
Et nitidus medio Phoebus resplendet Olympo.
Tunc Veturiadis mater sic ora serenans:
Nunc vere sanguis meus Aeneadumque propago!
Hinc prolem exsultans formosa Volumnia linquit,
Laetitiaque amens sponsi inter brachia currit;
Et pueri lacrimis immiscent oscula, verba,
Complexique genu placati patris inhaerent.
At matrum turbae, sapiensque Valeria primum,
Et dulci vultum fletu conspersa senectus
Magnanimo gratos tendunt oculosque manusque,
Et patriae patrem geminata voce salutant.
Tantae virtutis radiis, ceu caerula vento,
Aere renidentes acies agitantur et ardent,
Tam potis est facinus generosum corda movere!
Quisque ducum roseus cristis auroque coruscus
Magnanimo mites Marcî pede subjicit enses;
Festinas fortis bellator concutit hastas,
Signifer et tollens agitat vexilla per auras;
Martia laetitiam resonis clangoribus auget
Buccina, et excussis ardens equus artubus hinnit.
Non tot festivis unquam celebrare cruentos
Certarunt signis Volscorum castra triumphos;
Undique tolluntur geminatae ad sidera voces,
Et Coriollanum non tam ceu numen adorant
Terribile armorum, quam pacis amabile sidus.

F I N I S.



HAG 20072 13

Errata			Corrige
Pag. 26	v. 10	Atque sopire	Et sopire
» 67	v. 35	fontibus	frontibus
» 69	v. 4	exaudit	exaudiit.
» 96	v. 35	oro.	oro,
» 104	v. 14	dedita	victa
» 137	v. 4	Justitiam Romae etc.	Justitiam pars Romae ingens,
» 139	v. 22	auratas	aureas
» 151	v. 11	parum.	paulum
» 171	v. 12	properemus	intremus
» 190	v. 28	versat.	versat.
» 192	v. 30	ompta.	empta
» 219	v. 19	cunctanctem	cunctantem

Digitized by Google

NIHIL OBSTAT

J. B. Rosani Episc. Erythr.

IMPRIMATUR

F. D. Buttaoni S. P. A. M.

IMPRIMATUR

Fr. A. Ligi Arch. Icon. Vicesg.

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google